EXEGESIS

IN EPISTOLAM DIVI PAULI

AD COLOSSENSES

JUXTA TEXTUM GRAECUM ET VULGATAM EDITIONEM INSTITUTA

A

SACERDOTE J. BORLINI

S. THEOLOGIAE DOCTORE



PATAVII

TYP. ANTONII BIANCHI

1854

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

MODESTO FARINA

EPISCOPO PATAVINO

A CONSILIIS CAESAREO-REGII GUBERNII

ORD. CORONAE FERREAE ET IMP. AUSTR. EQUITI

IN

OBSEQUII OBSERVANTIAE AC GRATI ANIMI

SIGNUM ET ARGUMENTUM

AUCTOR

D. D. D.

PROLEGOMENA IN EPISTOLAM D. PAULI

AD COLOSSENSES

De iis, quibus haec epistola missa fuerit.

Colossarum urbs in magna Phrygia sita non procul Hierapoli, ac Laodicea totius provinciae metropoli, olim divitiis et auctoritate, Herodoto et Xenophonte testibus, quam maxime florebat; verum Apostolorum aevo pristinae celebritatis multum amiserat, et inter minores urbes recensebatur. — Incertum, an haec civitas Colossae vel Colassae appellaretur. — Optimi et vetustissimi manuscripti codices, nec non Chrysostomus, Oecumenius, Theodoretus, et Graeca exemplaria plurima *Colassas* habent; Strabo vero, Herodotus, et Xenophon *Colossas* praeferunt. Latini *Colossenses* constanter legunt; cujus nominis conjectura ducti Graeci et Latini non defuerunt, qui crederent, hanc epistolam missam fuisse ad Christianos degentes Rhodi, *Colossenses* vocatos a Solis Colosso, qui Rhodi habebatur. Verum ex totius epistolae contextu apertissime patet, eam ad Phrygiae Colossenses datam fuisse. Caeterorum enim omnium loco, quae in medium afferri possent, sufficiat v. 16. c. IV, ubi Paulus

Colossensibus praecipit, ut Laodicensium quasi vicinorum epistolam perlegant; quae sane verba vix sensum haberent, si de fidelibus Rhodiis essent intelligenda.

Non diu post hanc epistolam, ad decimum Neronis annum juxta Eusebium, ad decimum quartum juxta Tacitum, Colossae una cum Hierapoli et Laodicea terrae motu conciderunt. Mox vero urbs iterum restituta, et novo nomine *Chonae* appellata est, quemadmodum narrat Theophylactus.

Omnes ferme interpretes conveniunt, Paulum, licet in Phrygia praedicaverit, Colossas tamen numquam adiisse: quod satis innuunt illa epistolae hujus verba c. II. v. 1., ubi Paulus ait: « Volo, vos scire, quantum certamen habeam de vobis, et de iis, qui sunt Laodiciae, et quotquot non viderunt faciem meam in carne »; quibus verbis Apostolus Colossenses et Laodicenos una cum illis conjungit, qui nondum ipsum viderant. Non diffitemur quidem, Theodoretum et Baronium ex loco modo adducto contrarium prorsus statuere; attamen ubi ad ejusdem versiculi expositionem deventum fuerit, Hermeneutices regulis innixi demonstrare conabimur, versum superius allatum ab utroque auctore perperam intelligi. Quae nostra sententia confirmatur etiam ex eo, quod nullibi in hac epistola Paulus, quemadmodum in literis ad Ecclesias a se fundatas missis, se Colossensibus Evangelium praedicasse, aut eorum Apostolum esse significat: quin potius paullo post

exordium, ubi locus erat id memorandi, non se, sed Epaphram nominat ut primum et praecipuum Evangelii apud eos ministrum (conf. c. I. v. 7.). Demum in epistola ad Philemonem Colossensem v. 22. ait: « Spero per orationes vestras donari me vobis. » Si quando apud eos fuisset Apostolus, non dixisset *donari*, sed *restitui*, prouti habetur ad Hebr. c. XIII. v. 19.

Epistolae occasio et argumentum.

Cum Colossenses per Epaphrae ministerium Christo nomen dedissent, nonnulli ab Judaismo ad fidem conversi Colossas venerant. Hi Mosaicam religionem Platonicae philosophiae placitis immiscentes, initio statim fideles adhuc simplices superstitioso Angelorum cultu, et fallacibus humilitatis sensibus imbuerunt; docebant videlicet, accessum ad Deum nos habere non per Filium, qui major est, quam ut eo mediatore atque intercessore uti nobis liceat, sed per Angelos, ad quos propterea nostra vota offerenda, preces nostras dirigendas suadebant, cum Deus, sicut olim per Angelos Moysi legem dederat, ita et in Evangelii lege orationes nostras per Angelos excipiens, suam nobis misericordiam indulgeret. Huc accedebant circumcisio et legalia, quae tamquam ad salutem prorsus necessaria omnibus obtrudere satagebant; nec non quamplures aliae observationes ac superstitiones sive ex Judaismo, sive e Platonica philosophia mutuatae, quae ab evangelica doctrina immane quantum discriminabantur.

Cum haec Paulus, referente Epaphra tunc Romae secum vinculis devincto, rescivisset, sui utpote Gentium Apostoli esse duxit Colossensium fidem defendere, et pseudo-doctorum audaciam cohibere. Attollit igitur in hac epistola capitibus I. et II. J. Christi amplitudinem et dignitatem, quem Patris imaginem appellat, Dei et hominum mediatorem, et Ecclesiae caput: docet, non per Angelos, sed per Christum nos instaurari et reconciliari Deo; ac proinde Angelorum religionem, qua Christi mediatoris officium ad Angelos transfertur, omnino rejiciendam esse deducit: pseudo-Apostolos, qui talia disseminabant, suis depingit coloribus: ostendit denique, Judaicas et philosophicas observationes et caeremonias cum Evangelio minime miscendas, neque eas ad nostram sanctificationem quidquam habere momenti. Capitibus III. et IV. Colossenses hortatur, ut veteri se homine exuentes novum sibi superinducant: optimis denique praeceptis moralibus constitutis, quibus Christianae honestatis studium, proximi amorem, pietatem, castitatem, mutua demum parentum, liberorum, conjugum, dominorum, servorumque officia commendat, epistolam absolvit.

Paulus, cum haec scriberet, Romae in vinculis detinebatur anno Christi 62, postquam primum Romam venerat, et paullo antequam a vinculis solveretur.

Quoad hujus epistolae gravitatem, pulchritudinem ac nobilitatem legenda sunt cum ea, quae apud clarissimum Martini in praefatione ad hanc

epistolam inveniuntur, tum vero potissimum, quae desuper conscripsit Chrysostomus, qui eam qua sensibus, nobilibusque phrasibus, et moralis divinae praeceptis undique refertam summopere admiratur.

De ejus authentia nihil dicendum putamus, tum quia nihil in hac epistola reperitur, quod obsit, quominus eam s. Paulo tribuamus, sed omnia potius cum aliunde notis aetate, indole, studiis, consuetudinibus Apostoli apprime conveniunt; tum quia viri fide digni ex tribus prioribus saeculis amplissimum de eadem testimonium protulerunt; tum demum quia semper in Ecclesia sive Orientali sive Occidentali haec epistola tamquam authentica habita est, et in canonem Librorum N. Foederis recepta.

Hisce praejactis, facilius nobis erit ipsam epistolam intelligere, quam statim interpretandam suscipimus.

CAPUT I.

v. 1.

« Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater »

Paulus. S. Paulus antequam ab Judaismo ad Christi castra transiret, vocabatur Saulus, atque ita nominatur a d. Luca in Actibus Apostolicis, ubi Stephani caedem describit. Postquam autem christianam religionem amplexus est, nomen Sauli

in illud Pauli mutavit. Varii interpretes diversa conjectura ducti varias hujusce mutationis rationes attulerunt, licet quicquam certi numquam statuere potuerint. Verosimilior videtur illorum sententia, qui asserunt, Apostolo ab initio duplex nomen fuisse, attulerunt quidem Romanum, alterum vero Judaeum, cum Romanus esset civis utpote Tarsi natus, origine autem et religione Judaeus. Dicunt praeterea, Apostolum se Pauli nomine vocavisse, statim ac inter Gentiles versari coepit, cum Pauli nomen magis, quam Sauli, tum Graecis cum Latinis innotesceret.

Apostolus Jesu Christi. Vocabulum ἀπόστολος etymologice spectatum sibi vult proprie *missum, legatum;* descendit enim a praepositione ἀπό et a praeterito Jonico verbi στέλλω *mitto;* biblico autem loquendi usu illi dicuntur *Apostoli*, qui tamquam legati ad praedicandum Evangelium a Christo Domino missi sunt, omni potestate ab eo accepta, quae ad fundandas et regendas Ecclesias pertineret; quales fuerunt duodecim illi discipuli, quos ipse ex reliquis omnibus electos *Apostolos* nominavit; item Matthias in locum Judae proditoris suffectus, Paulus denique et Barnabas in opus ministerii a Spiritu Sancto segregati. Non inficiamur quidem, Apostoli nomen in posterum ad alios paucos extensum, ut ad Silam, Timotheum, Lucam, Marcum, Andronicum et Juniam, qui partim in sacris Litteris, partim in officiis divinis Apostolorum vocabulo decorantur; verum improprio tantum sensu id

factum fuisse, in aperto est, cum perfecta Apostolici nominis ratio eis non omnino conveniat.

Per voluntatem Dei, hoc est per beneplacitum, gratiam et favorem Dei, Deo sic volente et disponente, non vero ex propriis meritis, vel ex ambitione, humanaeque gloriae cupidine. S. Paulus initio statim suam Apostoli dignitatem, suamque supernaturalem vocationem commemorat, quia cum Colossensibus nondum praedicasset, opus erat, ut in eorum mente suam auctoritatem statueret. Ait igitur: Verus Jesu Christi Apostolus sum, qui non memetipsum ad Apostolatum ingessi, sicut pseudo-doctores, sed Deo volente ac jubente hoc munus suscepi.

Et Timotheus frater. Nominat Apostolus in epistolae fronte etiam Timotheum, fortasse ut tali pacto majus doctrinae suae pondus auctoritatis accedat.

v. 2.

« Iis, qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo. Gratia vobis et pax a Deo patre nostro, et Domino Jesu Christo. »

Sanctis. Vocabulum ἅγιος *sanctus* non est hic de Sanctis vere talibus accipiendum, sed per hanc vocem debemus intelligere indiscriminatim *christianos*, ita ut ἅγιος sit in hoc loco synonymum pro *christiano;* quemadmodum in aliis locis parallelis ἅγιος permutatur cum ἐκλεκτός *electus,* quatenus qui Christi sacris adhaerebant, tamquam a reliquis populis *electi* censebantur.

— Cur autem factum est, ut per usum loquendi christiani appellarentur *sancti?* Vel quia sanctissimam religionem profitebantur, vel quia per eamdem vocabantur ad sanctitatem; vel quia primis Ecclesiae temporibus morum innocentia, vitae sanctitas, et Spiritus Sanctus in plerisque Christianis inhabitans eos praeclaro Sanctorum nomine dignissimos efficiebat.

Et fidelibus. Vocabulum πιστοὶ *fideles* in epistolis Paulinis frequentissime occurrit pro πιστεύοντες *credentes.* Qui autem hic nominantur, videntur esse ii, qui in fide permanent, non obstantibus pseudo-Apostolorum figmentis, qui diversam a christiana religione doctrinam praedicabant.

Fratribus in Christo. Christiani, qui antea *sancti* et *fideles*, hic vocantur *in Christo fratres*, quippe qui a Christo per mortem ad vitam geniti, unam eamdemque familiam sub eodem capite et parente constituunt. — Est tacita cohortatio ad mutuam charitatem servandam.

Gratia vobis et pax: supplendum est: donetur et multiplicetur. Vox χάρις *gratia* non indicat tantum Dei benevolentiam atque favorem, prout Beza contendit, sed etiam quod ex eo favore, utpote liberali et efficaci, consequitur, id est gratuitum omne Dei beneficium, quo homo ad aeternam salutem dirigitur, ut sunt fides, spes, charitas, peccatorum remissio, justificatio, virtutes atque earum augmenta, bonorum operum perseverantia, ipsa denique vi-

ta aeterna; quae omnia sunt dona ex favore et benevolentia Dei profecta, eademque omnia in N. T. Libris nomen *χάρις gratia* recte comprehendit.

Vocabulum *εἰρήνη pax* in N. Foedere adhibetur juxta usum loquendi Hebraeorum, apud quos vox שָׁלוֹם pro omnibus bonis occurrit; hinc *pax* sumitur pro complexu omnium bonorum imprimis spiritualium, et tranquilla eorum possessione.

A Deo patre nostro. Haec bona vobis expectanda sunt ab eo, qui Deus noster est, et factus est Pater noster, cum nos in filios per Christum adoptavit.

Et Domino Jesu Christo. Gratiarum et pacis accessionem vobis adprecor a Jesu Christo, aeque ac a Deo patre. — Tribuit igitur in hoc loco Paulus eamdem Patri et Jesu Christo potestatem; sed potestas in divinis nequit a substantia distingui; ergo juxta Paulum Filius seu Christus eamdem habet cum Patre substantiam seu naturam; de divina autem Patris natura neque ab haereticis fuit unquam dubitatum; sequitur ergo, Apostolum hic loci divinam Filio seu Christo substantiam tribuere.

Nonnulli interpretes verba superius allata ita exponunt: a Domino Jesu Christo, ut homine, quippe qui nobis illa bona per suam crucem promeruit. — Verum haec interpretatio a nobis non admittitur, quia auctores hagiographi ad meritum Christi significandum semper dicere solent

ἐν Χριστῷ, διὰ Χριστοῦ *in Christo*, vel *per Christum*.

Meminit in hoc versiculo Paulus trium Trinitatis Personarum, Patris quidem et Filii expressis verbis; quamvis autem Spiritus Sanctus diserte non nominetur, subintelligitur tamen in donis ejus *gratia* et *pace*.

v. 3.

« Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, semper pro vobis orantes, »

Praemissa salutatione, incipit hic sacer auctor epistolarem tractatum, et quidem a gratiarum actione.

Gratias agentes Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi. Illud καὶ *et* significat proprie in hoc loco *idest*, scilicet: Gratias agimus Deo, qui est Pater Domini nostri J. Christi.

Saepe duae istae voces *Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi* ab Apostolo conjunguntur. Quamvis enim divina essentia a Persona non distinguatur *realiter*; distinguitur tamen *virtualiter*, quae virtualis distinctio a theologis distinctio rationis cum fundamento in re appellari consuevit. Unde verissime dixit Augustinus libr. VII. de Trinit. c. 4.: « aliud est Deo esse; aliud Patrem esse », siquidem *esse* ratione nostra absolute concipitur, diciturque quoad se; at *Patrem esse* comparate ad Filium concipitur, diciturque quoad illum; non secus ac si quis assereret, aliud est tritico esse granum,

et aliud esse semen, quia licet unum idemque sit quoad rem, penes rationem tamen cum fundamento in re ipsa granum absolute percipitur, semen vero comparate ad frugem. Hinc frequenter haec duo conjunguntur: Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, quia Pater est fons et origo Trinitatis, qui ante omnia saecula totam naturam divinam Filio communicat; unde et Filius sua omnia ad Patrem refert, a quo *intemporaliter*, ut scribit divus Leo M., id est ab aeterno habet naturam divinam. « Sicut enim Pater habet vitam in semetipso, sic dedit et Filio habere vitam in semetipso » (Joan. c. V. v. 26); et alibi (Joan. c. XVII. v. 10): « mea omnia tua sunt et tua mea sunt »; et rursus (Joan. c. VII. v. 16): « mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris. »

Semper pro vobis orantes. Illud *περὶ ὑμῶν pro vobis* potest referri ad verbum *εὐχαριστοῦμεν gratias agimus*, unde Erasmus vertit: *gratias agimus pro vobis, cum oramus.* Melius tamen ad sequens participium *προσευχόμενοι orantes* refertur, prouti vertit etiam Syrus interpres: *gratias agimus Deo, et oramus pro vobis.* — Hisce verbis Paulus amorem suum in Colossenses ostendit, ut paullatim in eorum animos irrepat, eorumque benevolentiam et confidentiam sibi conciliet.

Semper orantes, id est frequenter orantes. Est enim hyperbole, qua frequentia cum studio significatur.

v. 4.

« Postquam audivimus fidem vestram in Christo Jesu, et caritatem in omnes sanctos, »

Vulgata vertit: Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem, quam habetis in sanctos omnes — Attamen Graecum participium ἀκούσαντες non praesentis, sed praeteriti temporis est, quod resolvi potest *quoniam audivimus*, ut vertit Erasmus, vel *postquam audivimus*, aut *quum audissemus*, quod malunt Faber et Hentenius, aut, prouti habet Ambrosianus textus, *audita fide vestra;* non autem *audientes.* — In secundo hujus versiculi membro Vulgatus interpres ad sententiam explendam addidit *quam habetis*, quod in Graeco textu non exprimitur, licet articulus τὴν subintelligatur.

Sensus est: Gratias agimus Deo, postquam referente Epaphra audivimus fidem vestram non in Angelis, ut pseudo-Apostoli vobis obtrudere studerent, sed in Christo Jesu, nec non vestram caritatem, quam exercetis erga quoscumque fideles.

Postquam audivimus fidem vestram. Fides est principium vitae spiritualis; sed fides sine caritate operante mortua est, ut dicitur in epistola Jacobi; ideo subjungitur *et caritatem*, quae ut vera sit, et quemadmodum a Christo requiritur, non ad nonnullos tantum, sed indiscriminatim ad omnes vel peccatores, haereticos, aut incredulos extendi debet, de quibus, dum

in vivis agunt, spem foveri licet, ut aliquando ad meliorem frugem revertantur. — Si res ita se habet, cur dixit Paulus *caritatem in omnes sanctos*, scilicet in omnes Christianos, et non potius *in omnes homines?* Quia non loquitur hic Apostolus de solo dilectionis affectu, qui facili ratione ad omnes prorsus homines portenditur; sed de illo affectu, qui externe se exerit, quum proximorum necessitati atque inopiae subvenimus. Qua in re cum non possit Christianus omnibus auxilium praestare, primo loco id facere tenetur erga fideles, juxta illud ad Gal. c. VI. v. 10.: « operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. »

v. 5.

Vulgata. « Propter spem, quae reposita est vobis in caelis, quam audistis in verbo veritatis Evangelii: »

Textus graecus ad literam. « Propter spem repositam vobis in caelis, quam ante audistis in verbo veritatis Evangelii, »

Dixerat in antecedentibus versiculis Apostolus, se Deo gratias agere, quia audierat Colossensium fidem, eorumque caritatem; nunc autem ostendit, quomodo fructus caritatis non sit in hoc mundo, sed in vita aeterna; idcirco subdit: *propter spem*, scilicet praemia sperata, est enim metonymia, quae reposita vobis sunt a Deo in regno caelorum.

Quam ante audistis in verbo veritatis E-

vangelii. De quibus speratis bonis jam ante audistis per praedicationem Evangelii, quod verum est.

v. 6.

Vulgata. « Quod pervenit ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat, et crescit, sicut in vobis, ex ea die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, »

Textus graecus ad literam. « Quod praesens est apud vos, sicut et in universo mundo, et est fructificans et crescens, sicut et in vobis, ex die, qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate, »

Quod Evangelium *praesens est apud vos, sicut et in universo mundo*, videlicet in quamplurimis mundi regionibus, in praecipuis totius orbis partibus atque provinciis: est enim hyperbole, quam aliis verbis infra repetit dicens: « Quod praedicatum est in universa creatura, quae sub coelo est. »

Et est fructificans per opera bona, *et crescens* in credentium multitudine. — Nonnulli graeci codices non habent *καὶ αὐξανόμενον et crescens*, quos Erasmus in sua versione secutus est: attamen cum Complutensia, et alia quaedam exemplaria illud addant, cum praeterea Chrysostomus ac caeteri Graeci interpretes, prouti ex eorum commentariis patet, illud legerint, cum denique 10. hujus capitis versu utrumque participium *καρποφοροῦντες καὶ αὐξανόμενοι fructificantes et crescentes* iterum occurrat, illud vel in hoc loco admitti posse videtur.

Sicut et in vobis, scilicet fructificat et crescit. Hac laude Colossenses excitat sacer auctor ad majorem profectum.

Ex die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate. Evangelium in vobis fructificare et crescere coepit ex primo die, quo per ejus praedicationem audistis et cognovistis veram doctrinam de gratuita Dei beneficentia, qua salvare constituit genus humanum.

S. Paulus, ut in prolegomenis diximus, sub annum Christi 62 hanc epistolam conscripsit; et ex hoc versiculo admirabiles progressus colligi possunt, quos tam brevi temporis intervallo fecerat Evangelium ab Apostolis eorumque discipulis ubique praedicatum. Tali ratione adimplebatur, quod in Matth. c. XXIV. v. 14. legimus: « Oportet hoc Evangelium regni praedicari in universo orbe. »

v. 7.

« Sicut et didicistis ab Epaphra dilecto conservo nostro, qui est fidelis pro vobis minister Christi, »

Ab Epaphra. Epaphras Colossensis fuisse videtur, a Paulo in Phrygia praedicante ad Christum conversus. Hic Christianam religionem amplexus, Evangelicam cognitionem, quam ab Apostolo receperat, eo cum fructu concivibus suis patefecit, ut eorum quamplures, abjectis idolis, ad christiana castra transirent. Mox Romam venit, cumque ibi una cum Paulo in vinculis detinere-

tur, certior factus est, occasione absentiae suae abrepta, pseudo-Apostolos perversas disseminasse doctrinas, ubi ipse Evangelium diffuderat. Quapropter Apostolum, cujus nomen et auctoritas summa erat in Phrygiae provincia, et in urbe Colossensi, magis atque magis adhortatus est, ut per epistolam omnem Colossensibus errorem auferre, eorum fidem tueri, pseudo-doctorum denique audaciam cohibere vellet.

Epaphram dilectum conservum suum vocat Apostolus, quia secum Christo serviebat in praedicando et propagando Evangelio; unde explicans subdit: *qui est fidelis pro vobis minister Christi*, nimirum, qui fideliter sacrum Christi ministerium adimplet pro Colossensium Ecclesia. Laudat eum Paulus ab evangelici ministerii fidelitate, ne a doctrina, quam ab eo didicerant, per novos magistros se abduci paterentur.

v. 8.

« Qui etiam manifestavit nobis vestram dilectionem in spiritu. »

Qui etiam manifestavit nobis vestram dilectionem, id est qui etiam verbis exposuit et declaravit mihi, quanta sit dilectio, quam vos, o Colossenses, habetis erga me, vel juxta nonnullos interpretes, erga omnes indiscriminatim Christianos, ut dixerat v. 4. Haec autem ἀγάπη non est carnalis saecularium dilectio, sed ἐν πνεύματι *in spiritu*, scilicet spiritualis, ex amore Dei, atque interiori Spiritus Sancti operatione profecta.

v. 9.

« Propter quod et nos ex die, qua audivimus, non cessamus pro vobis orantes et postulantes, ut impleamini cognitionem voluntatis ejus in omni sapientia et intellectu spiritali, »

Propter quod et nos ex die, qua audivimus ab Epaphra fidem et dilectionem vestram, *non cessamus pro vobis orantes et postulantes*, id est orare et postulare. Oratio est ascensio mentis in Deum, postulatio est rerum petitio.

Petit autem 1) veritatis cognitionem: *ut impleamini cognitionem voluntatis ejus*. Vocabulum ἐπίγνωσιν in textu graeco occurrit in casu accusativo, ideoque subintelligenda est praepositio *κατὰ secundum*, quae per elypsim omittitur, et sensus est: Non cessamus Deum orare pro vobis, ut impleamini secundum cognitionem voluntatis ejus, hoc est ut Deus suppleat in vobis usque ad complementum et perfectionem id, quod adhuc vobis deest quoad cognitionem voluntatis ejus.

Haec cognitio voluntatis Dei complectitur non solum quidquid credendum, sed etiam quidquid agendum est ad vitam aeternam consequendam; ideoque addit Apostolus *sapientiam*, qua divina mysteria intelliguntur, et *intellectum*, quo mysteriorum cognitio ad praxin, ad vitae agendae rationem applicatur. Sive autem σοφία sive σύνεσις πνευματικὴ a Paulo vocatur, idest *spiritualis*, ut ab humana et carnali sapientia et prudentia, quam jactabant Novatores, eam penitus distinguat.

v. 10.

Vulgata. « Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei: »

Graecus textus ad literam. « Ambulare vos digne Domino in omnem placentiam, in omni opere bono fructificantes, et crescentes cognitione Dei, »

Petit 2) operationem virtutis. *Ambulare vos digne Domino in omnem placentiam.* Vox περιπατῆσαι *ambulare* ex usu loquendi biblico sibi vult vivere, vitam agere; proinde *ambulare digne Domino in omnem placentiam* nihil aliud est, quam ita vitam ducere, ut Deo per omnia placeamus, et quasi fideles et dociles servi Dei, ejus, quasi summi nostri Domini, voluntatem et placitum in omnibus expleamus. Phrasis Apostolica περιπατῆσαι ἀξίως τοῦ κυρίου *ambulare digne Domino*, vel *digne vocatione* ut ad Ephes. c. IV. v. 1., vel *digne Evangelio* ut ad Philip. c. I. v. 27., significat vivere, sicut decet Christi fideles et discipulos, qui ad aeternam haereditatem vocati sunt.

Quomodo autem Dei voluntatem explemus, quomodo digne Deo ambulamus? *In omni opere bono fructificantes*, idest de minori bono ad ulterius nitentes, de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionem progredientes; *et crescentes agnitione Dei*, idest proficientes in notitia rerum caelestium, mysteriorum fidei, aliarumque

veritatum, quae Christianam constituunt religionem.

v. 11.

Vulgata. « In omni virtute confortati secundum potentiam claritatis ejus in omni patientia et longanimitate cum gaudio, »

Textus graecus ad literam. « In omni robore valescentes secundum potentiam gloriae ejus ad omnem patientiam et longanimitatem cum gaudio, »

In omni robore valescentes. Vulgata vertit: *in omni virtute confortati.* Erasmus et Hentenius: *omni robore corroborati.* Verum participium δυναμούμενοι respondens praecedentibus καρποφοροῦντες, αὐξανόμενοι, et sequenti εὐχαριστοῦντες, non praeteriti, sed praesentis temporis est.

Petit 3) fortitudinem, qua tentationibus resistant, idcirco dicit: *in omni robore valescentes*, id est oro, ut contra tentationes magna virtute corroboremini. Hoc autem robur et fortitudo est effectus potentiae Dei in vobis, unde addit *secundum potentiam gloriae ejus*, quae est phrasis hebraica et sibi vult *secundum gloriosam vel insignem potestatem ejus.* Potestas autem Dei dicitur gloriosa et illustris, quia relucet et glorificatur in fortitudine et patientia Christianorum, veluti causa in effectu.

Ad omnem patientiam et longanimitatem cum gaudio. Rursus indicatur effectus potentiae Dei in hominibus, quae sola constantem *patien-*

tiam et longanimitatem nobis conferre potest, qua non patienter solum, verum etiam *cum gaudio* hilariter quaelibet tristia et adversa feramus, in quo proprie consistit apex et perfectio patientiae et longanimitatis. — Vocabulum ὑπομονὴ a praepositione ὑπὸ et praeterito Jonico verbi μένω *maneo* sibi vult proprie *sustinentiam*, *tolerantiam:* et vox μακροθυμία a μακρὸς *longus* et θυμὸς *animus* indicat proprie *longanimitatem*. Graeci interpretes ὑπομονὴν a μακροθυμία in eo distinguunt, quia prior est ad eos, qui foris sunt, quosque ulcisci difficile sit; posterior vero est ad illos, qui nobiscum versantur, de quibus propterea vindictam sumere facili ratione possemus.

v. 12.

« Gratias agentes Patri, qui fecit nos dignos in partem sortis sanctorum in lumine, »

Gratias agit Deo pro beneficiis fidelibus omnibus collatis: *gratias agentes Patri*, *qui fecit nos dignos*, scilicet qui nos sine nostris meritis, imo prorsus indignos, sola sua gratia prae multis, quos juxta propriam ipsorum voluntatem ire dimisit, dignos effecit, qui in sanctorum haereditatem veniremus.

Verbum ἱκανόω sibi vult proprie *idoneum reddo*, atque ita reapse vertitur a Vulgata II. ad Cor. c. III. v. 6., ὃς καὶ ἱκανώσεν ἡμᾶς διακόνους καινῆς διαθήκης *qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti.* — Animadvertimus tamen, vocabulum ἱκανὸς, ex quo deductum est ἱκανόω, in

significatione *dignus* in N. Foedere frequenter occurrere, ita Matth. c. III. v. 11., Marc. c. I. v. 7., Luc. c. III. v. 16., ubi referunt Joannis Baptistae verba: « cujus non sum ἱκανὸς dignus solvere corrigia calceamentorum »; pro quo Joan. c. I. v. 27. legitur ἄξιος, quod proprie *dignum* significat. Ita rursus Matth. c. VIII., et Luc. c. VII., ubi adducuntur Centurionis verba: « Domine, non sum ἱκανὸς dignus, ut intres sub tectum meum. » Cum igitur verbum ἱκανός et ἱκανόω juxta usum loquendi biblicum utroquē modo verti possit, cumque in hoc loco significatio *dignos facere* melius conveniat, eam propterea alteri praeferendam putamus.

In partem sortis sanctorum in lumine, id est Deus nos retulit in participationem haereditatis sanctorum: haec autem haereditas sita est in regno Dei, quod non est regnum tenebrarum, sed lucis, unde addit *in lumine*.

Vocabulum κλῆρος *sors* significat primum conditionem, statum, qui cuilibet sorte vel fortuito obtingit, ut vulgo dicitur: haec est sors, haec est conditio mea. Ita legitur in Psal. XXX. v. 16.: « in manibus tuis sortes meae », id est casus, vicissitudo, status rerum mearum non a fortuna, sed certa tua providentia ac gubernatione, o Domine, reguntur. — Tali significatione potest hic accipi vocabulum κλῆρος, et sensus erit: Qui nobis contulit conditionem, statum sanctorum, qui nos in sanctorum album retulit. — Secundo et frequentius κλῆρος indicat haereditatem ea quidem

de causa, quia antiquitus haereditates inter haeredes sorte dividi solebant. — Hinc *sors* erat portio haereditaria, quae cuique sorte obtingebat. Multo autem magis Sanctorum haereditas dicitur κλῆρος *sors*, cum nulli hominum ad eam praecedens jus habeant, sed sine merito, gratis et quasi sortito hominibus conferatur ex mera Dei misericordia et liberalitate.

Per hujusmodi versiculum eorum excluditur error, qui asserunt, gratiae dona pro meritis dari, Deumque non indignis, sed dignis tantummodo suam gratiam elargiri. — Reapse si quidquid habes excellentiae ac dignitatis, hoc totum juxta Apostolum tibi contulit Deus, non tuis meritis igitur, sed divinae dumtaxat gratiae totum est tribuendum. Unde verissime Tridentina Synodus sess. VI. c. XVI. decrevit: « cujus (Domini) tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. »

v. 13.

« Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, »

Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, liberavit nos a daemone tenebrarum principe, de nocte ethnicae superstitionis, de errore atque peccato.

Et transtulit in regnum Filii dilectionis suae: et transtulit in Ecclesiam, quae est regnum dilecti Filii sui. — Phrasis *Filius dilectionis suae*

est hebraismus, quo genitivus loco epitheti ponitur, et sibi vult *Filium dilectum*.

v. 14.

Vulgata. « In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: »

Graecus textus ad literam. « In quo habemus redemptionem, remissionem peccatorum.

Quamplura graeca exemplaria, quibus annuunt Biblia Clementina, post ἀπολύτρωσιν legunt διὰ τοῦ αἵματος αὐτοῦ *redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*. Ceterum merito a criticis dubitatur, an illud additamentum ad textum pertineat, cum neque apud Ambrosianum, neque apud alios sive vetustiores sive recentiores Latinos interpretes, neque apud Chrysostomum aut Theophylactum inveniatur. Videtur potius huc transcriptum fuisse ex cap. I. v. 7. ad Ephes., ubi eadem omnino verba occurrunt.

Ostendit in hoc versu Paulus, qua ratione e potestate tenebrarum erepti in regnum lucis transferimur. Christus humanam carnem assumens, sacrificium pro nobis factus, e daemonis servitute nos liberavit per mortem et passionem suam, qua peccatorum remissionem, et Dei reconciliationem nobis promeruit.

v. 15.

« Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae, »

Qui est imago Dei. Imago, ut revera talis

appellari possit, quatuor praeseferre debet: 1) ut ab exemplari suo deducatur, 2) ut distinguatur ab eodem, 3) ut eidem similis sit, idemque 4) repraesentet. Filius sive Christus *imago Patris* a Paulo vocatur, et reapse omnia in se habet, ut vera Patris imago nuncupari possit. Et sane Christus divinam substantiam a Patre accipit, ideoque a Patre procedit: quatenus autem substantiam a Patre accipit, ab eodem distinguitur: quatenus vero essentiam omnino eamdem cum Patre habet, illi non modo similis, sed etiam aequalis est et consubstantialis, eumque per omnia repraesentat.

Attamen non solum quoad divinam naturam Christus appellari potest *imago Patris*, verum etiam ratione habita ad Mediatoris officium, cujus officii pars praecipua est, ut Patrem manifestet. Manifestavit autem Patrem Christus suis operibus et dictis, quibus Dei sanctitas, sapientia, bonitas et potestas luculenter hominibus innotuit.

Invisibilem Deum vocat Apostolūs, vel ex eo quod Deus invisibilis est hominibus in hac vita, vel quia nullus creatus intellectus divinam essentiam comprehendere, et penitus introspicere potest.

Primogenitus omnis creaturae. Ergo, dicunt Ariani, Christus est creatura, neque super alia creata positus est nisi vel ordinis vel temporis praecellentia. Primogenitus enim inter fratres et sorores ille dicitur, qui ante omnes fratres et sorores genitus est, sive qui primus est frater. —

Sed velim animadvertant haeretici superius citati, non dici hic Christum πρωτόκτιστον *primo creatum*, sed πρωτότοκον *primo genitum:* generatio ergo Filio convenit, creatio vero creaturis; quanto igitur divina generatio excellit creationem, tanto Filius creaturas excellit. Praeterea versu sequenti Christus dicitur artifex omnis creaturae, et in Evangelio Joannis c. I. legitur, nihil sine ipso factum esse: si igitur Christus factus esset, esset creatura; tunc aliquid creatum existeret, quod existentiae suae rationem a Verbo seu Christo non repeteret; et Paulus propterea ac Joannes contrarium affirmantes vel mendacium vel errorem protulissent, quod in auctoribus divinitus inspiratis absurdum est. — Per verba igitur *primogenitus omnis creaturae* debemus intelligere *genitum ante omnes creaturas;* quae interpretatio confirmatur ex eo, quod Ecclesiastici c. XXIV. v. 5. idem Dei Filius sub nomine Sapientiae vocat se *primogenitum ante omnem creaturam.* — Quemadmodum vero una cum creaturis tempus incepit, idcirco si Christus genitus est ante omnes creaturas, genitus est etiam ante tempus, idest ab aeterno; ideoque hisce verbis Paulus Verbi seu Christi aeternitatem praedicat. — Vel πρωτότοκος in hoc loco sumitur pro κυρίῳ *Domino* creaturarum. Reapse in Scripturis *primogeniti* nomen frequenter usurpatur pro iis, quae supereminent, et caeteris excellunt, ita Psal. 88. v. 28. dicitur *primogenitus regum*, id est super omnes reges eminens: « Primogenitum ponam illum, excelsum

prae regibus terrae. » In Job. c. XVIII. v. 13. *primogenitus mortis* ille dicitur, qui morti praeest et imperat; et in Apocalypsi c. I. v. 5. *primogenitus mortuorum* appellatur ille, qui primus et solus propria virtute et non ultra moriturus resurrexit. Hoc posito, si in hac significatione vocem πρωτότοκος sumimus in hoc Pauli loco, J. Christi divinitatem pariter colligimus; qui enim absoluto in omnes creaturas gaudet dominio et potestate, nullus alius esse potest, nisi Deus.

v. 16.

Vulgata. « Quoniam in ipso condita sunt universa in caelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: »

Graecus textus ad literam. « Quoniam in ipso creata sunt omnia, quae in caelis, et quae super terram, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum et in ipsum creata sunt. »

Exponit hic sacer auctor, qua de causa Christus sit *primogenitus omnis creaturae*, quia Deus omnia sive caelestia sive terrena, visibilia aeque ac invisibilia per Christum et in Christum creavit.

Visibilia et invisibilia, corporea scilicet et incorporea, cum quidquid corporeum est, aliquo modo corporeis oculis videri, substantiae vero corporis expertes nullo corporeo sensu percipi possint. — Docebant Platonici, Simon Magus, Me-

nander, Saturninus, aliique Simonis asseclae, Deum creasse Angelos, Angelos vero condidisse homines et mundum. Contra hos docet Apostolus, tam incorporea quam corporea, id est tam Angelos quam homines et mundum a Filio aeque ac a Patre creatos fuisse. — Enumerat postea Paulus varios Angelorum ordines dicens: *sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates*, quod et praestitit ad Ephes. c. I. v. 21. Qua autem ratione haec nomina certis Angelorum ordinibus tribuantur, et num Angelorum classes eum inter se ordinem habeant, quo hic numerantur, an quo ad Ephesios recensentur, certant antiqui, praesertim Dionysius *in caelesti hierarchia*, Gregorius M. in *homilia* XXXIV *super Evang.*, et d. Thomas Aquinas; at nihil adhuc certi statui potuit.

Omnia per ipsum et in ipsum creata sunt. Ne quis aliquam exceptionem fingeret, hic omnia comprehendit Apostolus caelestia et terrena, corporea et incorporea. Deus omnia creavit per Christum, tamquam causam efficientem, et in Christum, tamquam causam finalem, hoc est ad ipsius gloriam, ut nimirum in omnia creata suum Christus imperium exerceat.

v. 17.

Vulgata. « Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. »

Graecus textus ad literam. « Et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant. »

Et ipse est ante omnia. Vulgata vertit *ante omnes;* versio Syriaca e contra reddit *ante omnia.* Graecus genitivus πάντων utrique generi communis est. Praeferendum tamen neutrum genus videtur, tum quia universalius est, tum quia πάντα neutro genere bis jam dixit, ac tertio mox repetit hagiographus auctor. — Sensus est: Christus origine et dignitate creaturas omnes antecedit: origine quidem, quia aeternus, dignitate vero, quia Deus est.

Et omnia in ipso constant, omnia per ipsum consistunt et conservantur; omnia subsistentiam et conservationem suam ab ipso repetunt. Tali ratione Christi divinitatem superius probatam modo confirmat, cum rerum conservatio non minus, quam creatio soli Deo sit tribuenda.

v. 18.

« Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens, »

Postquam ea, quae ad divinam Christi naturam pertinent, in superioribus exposuisset, nunc ad explicandum redemptionis nostrae mysterium propius accedens, humanae ejus naturae dignitatem prosequitur.

Et ipse est caput corporis Ecclesiae, et Christus est caput totius Ecclesiae, quae est corpus illius. — Cur autem Christus caput Ecclesiae appellatur? Quia, sicut in corpore naturali caput vitam motumque omnibus membris tri-

buit, ita in mystico Ecclesiae corpore J. Christus vitae et charitatis spiritum in omnes fideles jugiter influit. — Ex quo colligitur, Christum Ecclesiae caput nuncupari non quoad divinam, sed quoad humanam naturam, prouti clarissime liquet ad Ephes. c. I., in quo agitur semper de Christo, non qua Deus, sed qua homo est et Redemptor, et vv. 22 et 23 Christus Ecclesiae caput, Ecclesia Christi corpus vocatur.

Qui est principium. Arbitrantur nonnulli, Christum hic *principium* dici, quia omnium creaturarum causa efficiens est. Sed cum de Christo ut homine nunc loquatur Apostolus, rectius sentire videntur, qui putant, Christum hic appellari *principium* respectu habito ad Ecclesiam, cujus caput paullo antea dicebatur: caput enim totius corporis principatum tenet.

Primogenitus ex mortuis. Resurrectionem Paulus considerat tamquam regenerationem, et novam nativitatem; hinc Christum ex mortuis suscitatum vocat πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν, scilicet *primum* inter eos qui resurrexerunt; et hoc triplici de causa, 1) quia Christus solus propria virtute resurrexit, 2) quia Christi resurrectio est causa et exemplar resurrectionis aliorum hominum, 3) quia solus ad vitam immortalem resurrexit, numquam amplius moriturus. In sacra sive V. sive N. Foederis Scriptura nonnullos ante Christum pristinae vitae restitutos legimus, prout essent illi, qui ab Elia et Elisaeo in V. T., et Lazarus, qui a Christo in N. F. suscitatus est.

— Hoc tamen maximum discrimen inter Christi et horum resurrectionem intercedit, quia ad immortalem Christus, isti vero ad mortalem vitam resurrexerunt rursus morituri, quemadmodum reapse mortui sunt.

Ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Illud ἵνα consecutive sumendum est, scilicet: ex quibus efficitur, ut Christus in omnibus primatum teneat, et quoad aeternam generationem, qua est primogenitus totius creaturae, et quoad humanam naturam, qua resurrexit et est primogenitus mortuorum. — D. Thomas hunc locum ita interpretatur, ut Christus principatum teneat et quoad dona gratiae, quia est principium, et quoad gloriae dona, quia est primogenitus, haeres, Dominus.

v. 19.

« Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: »

Post verbum εὐδόκησε supplendum est τῷ Θεῷ vel πατρί, quod Ambrosianus textus et Erasmus expressit. — Sensus est: Fuit voluntas Dei, ut in homine a Verbo in personae unitatem assumpto perpetuo et inseparabiliter inhabitaret, resideret divinitatis omniumque donorum plenitudo.

Animadversione digna sunt singula verba, quibus in hoc versiculo utitur sacer auctor. Dicit imprimis *complacuit*, ut ostendat, hominis Christi dona non fuisse ex fato seu meritis, ut ajebat Photinus, sed ex mera divinae voluntatis

complacentia et liberalitate assumentis humanam naturam in unitatem personae. — Subdit deinde *omnem*, quia alii habent hoc donum, alii aliud, Christo autem omnia dedit juxta illud Joan. c. XIII. v. 3.: « Omnia dedit ei Pater in manus. » Subjungit tertio *plenitudinem*, quia aliquis aliquod donum quidem habet, sed non ejusdem plenitudinem; non item tamen Christus, qui fuit plenus gratiae et veritatis (Conf. Joan. c. I. v. 14.). Dicit demum *inhabitare*, quia alii usum gratiae ad tempus acceperunt, ita spiritus Prophetarum non semper adfuit Prophetis; sed haec divinitatis ac donorum plenitudo est in Christo habitualiter, ita ut semper in eamdem dominium exercere possit.

Verba *κατοικέω* et *παροικέω* sibi volunt *habitare*, eo tamen cum discrimine, quod primum de perpetua, secundum de temporali mansione adhibetur. Ita Petrus, Epist. I. c. I. v. 17, vitam praesentem vocat *παροικίαν* id est *incolatum*: e contra Psalm. 88. v. 7. cum dicitur: « sicut laetantium omnium habitatio est in te », pro vocabulo *habitatio* graece est *κατοικία*, hoc est perpetua mansio.

§. 20.

Vulgata. « Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. »

Textus graecus ad literam. « Et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per san-

guinem crucis ejus, per ipsum, sive quae super terram, sive quae in coelis. »

Et per eum reconciliare omnia in ipsum. Subintelligitur verbum *εὐδόκησε complacuit*, fuit nimirum Patris voluntas, ut *omnia*, scilicet omnes homines omnium nationum, temporum, et locorum sibi reconciliarentur, non quidem per Angelum, prout Simoniani docebant, sed per Jesum Christum.

Pacificans per sanguinem crucis ejus, per ipsum, sive quae super terram, sive quae in coelis. Vulgata et nonnulla etiam exemplaria graeca omittunt illud δἰ αὐτοῦ *per ipsum*, quod reapse redundat. Ostendit hic hagiographus scriptor, qua ratione Deus Pater omnia sibi reconciliaverit; Deus scilicet per sanguinem, quem Christus in cruce fudit, non solum homines sibi reconciliavit, quod superius dixerat; sed etiam pacem instauravit inter ea, quae super terram, et ea, quae in coelis sunt, nimirum inter homines et Angelos, qui antea valde erant inter se disjuncti et inimici propter peccatum.

Sensus igitur hujusce versiculi ita est constituendus: Deus Pater voluit per Christum homines primum sibi, deinde vero coelestia et terrestria, id est Angelos et homines inter se reconciliare, uniendo eos tamquam unum corpus in Christo ut capite; pace inter eos composita per sanguinem ejus in cruce effusum, quo peccatum, quod erat inimicitiae causa, penitus deletum est.

v. 21.

Vulgata. « Et vos cum essetis aliquando alienati, et inimici sensu in operibus malis, »

Graecus textus ad literam. « Et vos olim existentes abalienatos, et inimicos mente in operibus malis, nunc autem reconciliavit »

Describit hic Apostolus Colossensium conditionem, antequam Christi beneficia acciperent. Haec autem conditio tria praeseferebat mala: quoad intellectum erant ignorantes ἀπηλλοτριωμένοι, *abalienati* scilicet a veri Dei ejusque religionis cognitione; quoad affectum erant justitiae *inimici* ἐχθροὶ, et quidem τῇ διανοίᾳ, id est ex voluntate, ex malitia; quoad actum denique erant in multis peccatis ἐν τοῖς ἔργοις τοῖς πονηροῖς *in operibus malis*.

v. 22.

« In corpore carnis suae per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso, »

Ostendit nunc Paulus Christi beneficia Colossensibus collata: *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis suae per mortem*. Adversus Simonem, qui dixerat, Christum in corpore phantastico passum esse, et contra Basilidem asserentem, pro Christo passum et mortuum esse Simonem Cyrenensem, adstruit Paulus, Christum *in corpore carnis suae*, id est in corpore suo carneo, vero et proprio, passionem et mortem pro nobis subiisse.

Cur autem reconciliavit vos Christus? *Exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso.* Erasmus Ambrosianum textum secutus illud κατενώπιον αὐτοῦ vertit *in conspectu suo:* rectius tamen reddidit Vulgata *coram ipso*, id est Deo Patre: hoc enim loci sensus postulat: Ut exhiberet ac sisteret vos Deo Patri sanctos, immaculatos, et irreprehensibiles. Nimirum finis reconciliationis est sanctificatio vestra, qua Deus vobis confert illam morum puritatem et sanctitatem, quae vos non oculis hominum acceptos reddit, sed coram Deo κατενώπιον αὐτοῦ.

Ex doctrina in hoc versiculo contenta nos ita adversus Neotericos argumentamur. Si per reconciliationem nobis a Christo collatam sancti, immaculati, irreprehensibiles, Deoque accepti reddimur, ergo in justificatione peccata non extrinsece tantum remittuntur, per externam videlicet justitiae Christi imputationem, sed intrinsecè quoque tolluntur, ac prorsus delentur.

v. 23.

«Si tamen permanetis in fide fundati et stabiles, et immobiles a spe Evangelii, quod audistis, quod praedicatum est in omni creatura, quae sub caelo est, cujus factus sum ego Paulus minister.»

Ut autem sanctificationem assequi possitis, necesse est, 1) ut sitis *in fide fundati et stabiles*, id est firmi et constantes. Fides sane est veluti fundamentum, ex cujus firmitate totum firma-

tur Ecclesiae aedificium. Opus est 2) ut sitis *immobiles a spe*, nulla externa vi dimoveri patiamini a spe caelestium bonorum, quae ab Evangelio vobis promittuntur *a spe Evangelii.*

Quod praedicatum est in omni creatura, quae sub caelo est, id est quod Evangelium in plurimas quaquaversum nationes hoc jam tempore disseminatum est: est enim hyperbole, quae ita est intelligenda.

Non inconsulto Apostolus, postquam Colossenses adhortatus esset ad firmitatem fidei et spei eorum bonorum, quae ab Evangelio promittuntur, confestim addit, hoc Evangelium a Colossensibus auditum et acceptum omnibus terrae gentibus et nationibus fuisse praedicatum; tali enim ratione ostendit, adimpletum esse J. Christi vaticinium, quod Marc. c. XVI. v. 15. legitur: « praedicate Evangelium omni creaturae. » Nemo autem non videt, hujus prophetiae adimpletionem gravissimum esse argumentum ad Colossenses in spe et fide confirmandos.

Cujus factus sum ego Paulus minister. Ne Colossenses minoris aestimarent Evangelium ex eo, quod non ab Apostolo, sed ab Epaphra discipulo audivissent, hisce verbis illos monet, se illud idem Evangelium annunciare, quod Epaphras praedicaverat.

v. 24.

Vulgata. « Qui nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et adimpleo ea, quae desunt passionum Chri-

sti, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia: »

Graecus textus ad literam. « Nunc gaudeo in passionibus pro vobis, et suppleo ea, quae desunt pressurarum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia. »

Nunc gaudeo in passionibus pro vobis. Infallibilis adeo est hujus Evangelii veritas, ut libenter et hilariter mea mala patiar ad vos in fide confirmandos.

Et suppleo ea, quae desunt pressurarum Christi, in carne mea. Vocabulum ὑστερήματα perperam a Theodoro Beza per *reliquias* redditur, etenim ὑστέρημα ab ὑστερέω *deficio* Graecis idem est, quod Latinorum *inopia*, *penuria*, *defectus*; praesertim cum jungitur verbo αναπληρόω *suppleo*, *adimpleo:* nec enim quis supplet id, quod reliquum est et abundat, sed tantum id quod deest, ut patet ex II. ad Cor. c. VIII. v. 14.: « vestra abundantia illorum ὑστέρημα inopiam suppleat. » Et ad Philip. c. II. v. 30: « ut impleret τὸ ὑστέρημα id quod ex vobis deerat erga meum obsequium. » Unde Chrysostomus, interpres Syrus, aliique passim vocem ὑστερήματα vertunt *defectum*. — Idem colligimus, significatione verbi ἀνταναπληρόω attente considerata. Hoc verbum ex tribus constat: ex αντὶ quod indicat *vicem*, cum quis alterius loco aliquid facit, ex ανὰ quod apud Latinos valet *iterum*, rursus, et πληρόω *impleo;* ἀνταναπληρόω igitur sibi vult rursus et frequenter aliquid implere vice vel loco alicujus;

non potest autem impleri loco alicujus nisi id, quod faciendum manet; ergo vox ὑστέρημα sibi vult defectum, deficientiam.

J. Christi passio nihil habet imperfectum, nihil quod supplendum sit, ut impleatur. Salvator perfecte perfunctus est munere suo: passionis et sanguinis ejus pretium infinitum est, et omnia merita, omnes cunctorum etiam hominum virtutes et passiones ne minimum quidem incrementum illi adjicere possunt, cum potius quaecumque bona homines perficere adnituntur, ab eodem Christi sanguine et passione pretium et meritum suum omnino repetant. Quid ergo in carne sua supplere potest Apostolus? Quid Christi passionibus potest adjicere? — Respondemus, J. Christum pro nobis passum minime nos exolvisse, quominus et nos pateremur, exerceremus virtutes, ac peccata nostra poenitentiae lacrymis elueremus. Nos monet d. Petrus in I. sua Epist. c. II. v. 21. illum passum esse, ut nobis praeberet exemplum, atque ut nos illius vestigia sequeremur. Hoc in sensu dici potest, aliquid adhuc faciendum eidem superfuisse, non quidem in persona sua, sed in membris suis.

Pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Apostolus in hoc loco Christum ejusque Ecclesiam tamquam mysticam personam considerat, cujus caput est Christus, membra autem sunt fideles, qui juxta aeternum Dei decretum debent et ipsi crucem suam gestare, et passiones sufferre, ut ad coelestem gloriam possint pervenire; quapropter

fidelium passiones ipsius Christi passiones vocat Apostolus, cum inter caput et membra, Christum et fideles, intimum amoris et caritatis vinculum intercedat. Ait igitur hic Paulus: Quidquid durum et acerbum nunc patior, ideo patior, ut adimpleam pro parte mea mensuram passionum, quas usque ad saeculi consummationem feret Christus in membris suis. Hunc Apostoli sensum nobis aperit Leo Magnus, qui serm. ultim. de pass. Domini: « Passio Domini, inquit, usque ad finem perducitur mundi: et sicut in sanctis suis ipse honoratur, ipse diligitur, et in pauperibus ipse pascitur, ipse vestitur; ita in omnibus, qui pro justitia adversa tolerant, ipse compatitur etc. » Hunc eumdem Pauli locum Augustinus quoque in psalm. 86. eleganter pertractat: « Ut adimpleam, inquit, quae desunt pressurarum Christi in carne mea. Numquid aliquid pressurarum deerat in illo homine, quod factum est Verbum Dei, natum ex Maria Virgine? Passus enim est, quidquid pati deberet, et videtur quod omnia: in cruce enim positus accepit acetum in ultimo et ait; Perfectum est. Quid est, Perfectum est? Jam de mensura passionum nihil deest, quia omnia, quae de me scripta sunt, completa sunt. Ergo impletae erant omnes passiones, sed in capite; restabant adhuc Christi passiones in corpore: vos autem estis corpus Christi et membra. In iis ergo membris cum esset Apostolus, dixit: Adimpleo, quae desunt pressurarum Christi in carne mea. »

Pro corpore ejus, quod est Ecclesia, ideo

patior, ait Apostolus, ut mysticum Ecclesiae corpus exemplo meo roboretur, crescat et perficiatur.

Graeci totum hunc Paulinum locum paullo aliter, ac Latini exponunt, ita ut talis hujusce versiculi sensus ab eis statuatur: Multis laboribus et afflictionibus opus est, ut colligatur Ecclesia, hominesque ad fidem vocari, et ad salutem perduci possint. Christus quidem multas, easque gravissimas passiones in mortali hac vita sustinuit; verum ut Christi passio in se sufficiens et superabundans omnibus prorsus hominibus applicari, et universa Ecclesia colligi et perfici possit, multa adhuc desunt dura et acerba toto saeculorum decursu ab iis toleranda, quibus Evangelii praedicandi munus commissum est. Quae proinde et Passiones Christi vocantur, cum passiones sint ministrorum ejus. Horum igitur laborum ego partem meam adimpleo, tamquam Evangelii minister pro salute Ecclesiae laborans.

v. 25.

Vulgata. « Cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei, quae data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei: »

Graecus textus ad literam. « Cujus factus sum ego minister secundum dispensationem Dei datam mihi in vos implere verbum Dei, »

Cujus Ecclesiae ego *factus sum minister.* Vox οἰκονομία in hoc loco significat partium distributionem, qualem in familiis facere solent dispensatores. Affirmat hic Apostolus, se non pro-

prio arbitrio, sed a Deo ipso excitatum κατὰ τὴν οἰκονομίαν τοῦ Θεοῦ gravissimum Ecclesiae ministerium suscepisse.

Datam mihi in vos, hoc ministerium a Deo mihi collatum est propter vos, o Colossenses, in spiritualem vestram utilitatem et emolumentum.

Implere verbum Dei, id est, ut plene et perfecte annuntiem verbum Dei juxta nonnullos, juxta alios vero et probabilius, ut impleam omnia terrae loca praedicatione verbi Dei, seu Evangelii, sive per me, sive per discipulos meos.

v. 26.

« Mysterium absconditum a saeculis et a generationibus, nunc autem manifestatum est sanctis ejus, »

Mysterium. Mysterium in hoc loco non est propositio, in qua non intelligimus nexum, quo praedicatum cum subjecto cohaeret, quemadmodum esset e. g. Deus est unus et trinus; sed accipiendum est de divina oeconomia, de consilio divino vocandi etiam Gentiles ad Christianam Religionem.

Absconditum. Scientia divini hujusce et arcani consilii de omnium hominum salute per Christum procuranda, et nominatim de Gentium vocatione ad veram religionem, omnes homines ante Christi tempora latuit. Nam quae apud Jesaiam, aliosque V. F. Prophetas de hoc argumento inveniuntur, nimis generalia sunt, ita ut jure Paulus asserere potuerit, mysterium hoc a

saeculis omnibus absconditum, scilicet non ita clare et perfecte sanctis V. Testamenti innotuisse, prouti per revelationem cognitum est eo dumtaxat tempore, quo Apostoli praedicabant. Hunc esse genuinum hujus loci sensum colligimus ex epist. ad Ephes. c. III. v. 5., ubi idem comparative dicitur: « Quod aliis generationibus non est agnitum filiis hominum, ὡς *sicut* nunc revelatum est sanctis Apostolis ejus, et Prophetis in spiritu. »

A saeculis et a generationibus. Praepositio ἀπό *a* non proprie tempus significat, quo hujusmodi mysterium latuit, scilicet per omnes mundi aetates quae ante Christum fluxerunt, quamvis et hoc consequens sit; sed indicat personas, quas latuit, ita ut sensus oriatur: Mysterium hoc incognitum fuit hominibus omnium praecedentium temporum et generationum.

Nunc autem manifestatum est sanctis ejus, gratiae tempore apertum et detectum fuit *sanctis ejus*, scilicet Christianis, ut superius adnotavimus.

v. 27.

Vulgata. « Quibus voluit Deus notas facere divitias gloriae sacramenti hujus in gentibus, quod est Christus, in vobis spes gloriae, »

Graecus textus ad literam. « Quibus voluit Deus manifestare, quae sint divitiae gloriae mysterii hujus in Gentibus, qui est Christus in vobis, spes gloriae. »

Quibus voluit Deus manifestare, quae sint divitiae gloriae mysterii hujus in Gentibus, id est quibus sanctis suis voluit Deus notum facere, quanta sit et quam gloriosa hujus beneficii magnitudo. Et sane mysterium conversionis Gentium in universo orbe praedicatum cunctis nationibus patefecit, quae et quantae sint *opes gloriae*, palam fecit videlicet infinitam Dei sapientiam, potestatem, et misericordiam in hoc mysterio contentam.

Animadvertenda sunt in hoc loco tria vocabula: ἠθέλησεν *voluit*, quo divinae voluntatis propositum commendat Apostolus; non dicit enim tantum, Deum sanctis suis hujusmodi mysterium notum fecisse, sed Deum *voluisse* notum facere; πλοῦτος καὶ δόξη *divitiae et gloria*, quibus copiosam ostendit beneficii largitatem, quae in Dei gloriam redundat.

Qui est Christus in vobis, spes gloriae. Vulgata vertit: *quod est Christus*, recte quidem quia illud ὅς *qui* refertur ad mysterium sive sacramentum praecedens; graece autem masculini generis habetur, cum relativum apud Graecos accipere soleat genus a dictione sequenti. Sensus est: Quod mysterium circa Christum versatur, cujus mysterii objectum est Christus. Illud ἐν ὑμῖν *in vobis* Graeci connectunt parti praecedenti, *Christus in vobis*, hoc est qui est, habitat in vobis per fidem, quique spes est gloriae, id est, per quem speratis, vos gloriam consecuturos. Alii vero cum sequentibus conjungunt, ita ut sensus

sit: Qui Christus est vobis spes gloriae, quia ab eo et per eum aeternam futuram gloriam expectatis.

v. 28.

« Quem nos annuntiamus corripientes omnem hominem et docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo;

Quem nos annuntiamus corripientes omnem hominem. Christus est, quem nos praedicamus, omnes homines de morum pravitate et verae religionis ignoratione redarguentes. Verbum νουθετέω significat proprie *admonere cum increpatione*, quomodo pater peccantem filium admonere solet: erat autem totum humanum genus in peccatis et ignorantia Dei, ac de his propterea corripiendum.

Et docentes omnem hominem in omni sapientia, omnibus scilicet hominibus non carnalem aut terrenam, sed spiritalem et coelestem sapientiam communicantes.

Ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo. Haec autem omnia praestamus eo fine, ut reddamus, Deoque sistamus omnes homines, cujuscumque nationis vel generis sint, et quoad veritatis cognitionem, et quoad pietatis virtutisque exercitium perfectos. En finem, ad quem saeculi philosophia numquam pervenit, et ad quem admirabili prorsus ratione homines adduxit Evangelium.

v. 29.

Vulgata. « In quo et laboro, certando secundum operationem ejus, quam operatur in me in virtute. »

Textus graecus ad literam. « Ad quod et laboro decertans secundum efficaciam ejus, quam operatur in me in potentia. »

Ad quod et laboro, in quem finem, ad homines scilicet perfectos efficiendos, totis viribus enitor, multumque laboro.

Decertans, pugnans scilicet veluti in agone, maximo cum periculo et difficultate. Graece est ἀγωνιζόμενος.

Secundum efficaciam ejus, quam operatur in me in potentia. Participium ἐνεργουμένην a verbo ἐνεργεῖσθαι passiva significatione accipiendum est, cum apud sacros aeque ac apud profanos auctores passive semper occurrat: ita igitur ad verbum esset: Secundum efficaciam *quae agitur* aut exercetur a Christo in me. Nos tamen in versione, claritatis causa, passivam locutionem in activam convertimus, eumdem tamen sensum exhibentes. Sensus ergo est: Decertans secundum efficacem Christi gratiam, quae in me operatur *in potentia*, hoc est potenter.

CAPUT II.

v. 1.

Vulgata. « Volo enim, vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis, et pro iis, qui sunt Laodiciae, et quicumque non viderunt faciem meam in carne: »

Graecus textus ad literam. « Volo enim, vos scire, quantum certamen habeam de vobis, et de iis, qui sunt Laodiciae, et quotquot non viderunt faciem meam in carne, »

Postquam Paulus auctoritatem suam antecedenti capite in Colossensium animos statuisset, in secundo hoc capite suam benevolentiam et existimationem iisdem testatur.

Volo enim vos scire. Vocabulum γὰρ *enim* rationem reddit, cur ultimo antecedentis, et primo hujusce capitis versiculo laborum suorum κοπιῶ, et certaminis ἀγωνιζόμενος ἀγῶνα meminerit Paulus, nimirum ut Colossenses scirent, Apostolum etsi nunquam iis visum, vel pro ipsis tamen laborare, decertare, ac talia pati, ut ipsi consolationem et fidei confirmationem exinde accipiant.

Quantum certamen habeam de vobis et de iis, qui sunt Laodiciae. Praepositio περὶ *de* in hoc loco verti debet *pro*, id est: Quantum certamen sustineam pro vobis, nimirum pro vestra et Laodicenorum salute. Laodicenos cum Colossensibus conjungit, quippe hae duae civitates

erant finitimae, et fortasse quod pseudo-doctores perversa sua placita in utraque urbe diffuderant.

Et quotquot non viderunt faciem meam in carne, id est faciem carnis seu corporis mortalis.

Ex hoc loco plerique interpretes colligunt, Paulum Colossas atque Laodiceam nunquam adiisse; quorum sententiam nos quoque amplectimur, quemadmodum superius in epistolae prolegomenis adnotavimus. Theodoretus tamen et ex eo Baronius contrarium prorsus ex his verbis statuendum esse contendunt, ita hunc Pauli locum explicantes: Non solum vestri, o Colossenses, sed eorum etiam, qui me non viderunt, maximam curam gero. Verum haec Theodoreti et Baronii explicatio vim patitur; et Apostoli verba si attente perpendantur, hunc omnino sensum exigere videntur: Volo vos scire, quantum laboris sustineam pro vobis et Laodicensibus, et pro omnibus iis, qui me non viderunt. Ad quid enim eorum meminisset, qui faciem suam non viderant, nisi quod eam non viderant Colossenses et Laodiceni? Idem colligimus ex vocabulo ὅσοι, quod sibi vult *ceteri*, sive quicumque alii, qui aeque ac vos faciem meam non viderunt. Sicut enim si dico: Petrus et Paulus, et ceteri Apostoli hebraei genere fuerunt, non solum dico, Petrum et Paulum fuisse hebraeos, verum etiam Apostolos fuisse, cum hoc necessario involvat vox *ceteri;* eadem ratione, cum hic Paulus dicat, se sollicitum esse pro Colossensibus et Lao-

dicenis et pro ceteris ὅσοι, qui ejus faciem non viderant, tacite innuit, Colossenses et Laodicenos eum numquam vidisse.

v. 2.

Vulgata. « Ut consolentur corda ipsorum, instructi in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei Patris et Christi Jesu: »

Textus graecus ad literam. « Ut consolationem accipiant corda ipsorum constructorum in charitate, et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei et Patris et Christi, »

Ut consolationem accipiant corda ipsorum. Vox αὐτῶν *ipsorum* refertur ad tria membra praecedentia, Colossenses, Laodicenos, et ceteros qui Paulum non viderant; qui omnes laetitia quadam ac solatio non affici minime poterant audientes, quomodo Apostolus pro ipsis etiam non visis tantam sollicitudinem haberet.

Constructorum in charitate. Vulgata vertit *instructi.* Verum quamvis verbum graecum συμβιβάζω *instruere* aliquando significet, ut I. ad Cor. c. II. v. 16.: « Quis cognovit sensum Domini, qui συμβιβάσει instruat eum? », hoc tamen loco magis congruit alter ac frequentior ejus sensus *construere*, coagmentare; quemadmodum ita accipitur in epistola ad Ephes. c. IV. v. 16.: « Ex quo totum corpus compactum et συμβιβαζόμενον connexum per omnem juncturam subministrationis, augmentum corporis facit in aedificationem,

in charitate »; et in hoc eodem capite v. 19. ubi eadem ferme verba occurrunt. Sensus igitur est: Cum ad instar partium unius aedificii, seu membrorum unius corporis apte conjuncti fuerint, et cohaeserint inter se per charitatem, veluti quoddam unionis vinculum.

Et in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionem mysterii Dei et Patris et Christi, id est et introducti in largissimam copiam plenae ac perfectae intelligentiae, qua fidei mysteria cognoscere possitis.

Vocem πληροφορία Budaeus, Hentenius aliique plenam ac certam persuasionem interpretantur, deducentes hoc vocabulum a πλήρος *plenus*, et φωράω *deprehendo*, comperio. Verum auctores hos falli apertissimum est: φωράω enim per ω, πληροφορία vero per ο scribitur. Vox πληροφορία descendit potius a πλήρος, et a praeterito Jonico verbi φέρω *porto*, non secus ac multa alia verba similis formae, ut e. g. καρποφορέω fructum fero, δωροφορέω dona fero, δωροφορία munerum oblatio, ὁπλοφορέω arma gesto etc. Πληροφορία igitur in primitiva sua significatione sibi vult plenitudinis apportationem, id est uno verbo impletionem seu expletionem. Quemadmodum vero intellectus plenitudo nihil demum est, nisi plena ejusdem persuasio, quia sicut crumena impletur pecunia, stomachus et appetitus expletur cibo, ita intellectus et cognoscendi facultas impletur probatione tali, quae plenam illi faciat fidem, remque omnino persuadeat; inde factum est, ut Graeci vocem

πληροφορία intellectui et actui mentis tribuentes a primitiva significatione ad plenam persuasionem indicandam transferrent.

Cum tamen vocabulum πληροφορία in primo suo significatu sumptum aptum det sensum, cumque talis interpretatio a summis commentatoribus probetur, non est, cur ad persuasionis explicationem recurramus, et per *plenitudinem intellectus* plenam seu completam intelligentiam accipiemus.

In agnitionem mysterii Dei et Patris et Christi. Explicat his verbis Apostolus, de qua scientia superius sermonem habuerit, quasi dicat: In cognitionem, inquam, illius mysterii, quod est de Deo, et Patre, et Christo. Habemus hic variantem lectionem. Correctio Romana, versio Syriaca, et nonnulla exemplaria Graeca legunt *mysterii Dei Patris et Christi Jesu.* Complures codices habent sine conjunctione: *Dei Patris Christi Jesu,* id est Dei, qui est Pater Jesu Christi. Eumdem sensum praesefert aliorum quorumdam codicum lectio: *Dei et Patris Christi Jesu.* Recentiores denique codices Graeci conjunctionem geminant τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ *Dei et Patris et Christi,* ita ut *Dei mysterium* dicatur, quod est de Deo ac divinis attributis; *Patris,* quod ad divinas spectat Personas, quarum prior est Pater; *Christi,* quod est de tota Redemptionis oeconomia. Hae autem omnes variantes lectiones, licet specietenus diversae, quoad substantiam tamen conveniunt; intelliguntur sci-

licet praecipua Christianae Religionis capita Symbolo fidei comprehensa, quae partim de Deo, divinisque Personis, partim de Verbi Incarnatione, nostráeque Reparationis mysterio pertractant.

v. 3.

« In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi. »

In quo scilicet Christo *sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* Pulcherrime Chrysostomus in hoc loco Apostoli verba expendit. Quum dicit *thesauri*, ait, copiam et multitudinem ostendit: quod addit *omnes*, nihil omnino esse quod ignoret: quod autem subjungit *absconditi*, ipsum solum omnia scire declarat. Sapientia vero a scientia in eo juxta d. Thomam distinguitur, quod illa rerum divinarum, haec autem sit creaturarum cognitio.

Quaeritur modo, num his verbis divinam, an humanam Christi scientiam Paulus commendet. Communis est tum Latinorum cum Graecorum interpretum sententia, sermonem hic haberi de scientia divina, quae in Christo est ut Dei Verbo. Non defuerunt tamen nonnulli, qui existimarunt, ad humanam quoque Christi scientiam hunc Pauli locum facile accommodari posse, cum ex increata sapientia in animam Christi, cui hypostatice conjungitur, influat creatae sapientiae perfectio ac plenitudo. Nos priorum interpretum expositioni adhaeremus ex eo, quod mens Apostoli est eam scientiae perfectionem Christo tri-

buere, cui nihil accedere possit, quaeque prorsus inexhausta sit atque infinita: talis autem esse nequit scientia humana, quae ut ut plena ac perfecta, simpliciter tamen et absolute infinita dici nequit. Ergo Paulus loquitur in hoc loco non de humana, sed de divina Christi scientia; quod confirmatur tum ex iis, quae veluti rationem reddens v. 9. subnectit: « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter », tum ex loco parallelo ad Rom. c. XI., v. 33., ubi nominat τὸν πλοῦτον τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως τοῦ Θεοῦ *divitias sapientiae et scientiae Dei*, increatam utique sapientiam et scientiam volens indicare.

v. 4.

Vulgata. « Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat in sublimitate sermonum. »

Graecus textus ad literam. « Hoc autem dico, ne quis vos argumentando decipiat in suasibilibus verbis. »

Hic ad epistolae scopum jam propius accedens sacer auctor initio statim Colossenses munire studet adversus Simonianos et Judaizantes, a quibus eorum fides circumveniebatur. Verum de Judaizantibus inferius. Ad Simonianos vero, qui humanae philosophiae placitis imbuti, a Christo ad superstitiosum Angelorum cultum homines avocare satagebant, pertinet id, quod hic dicitur, et alia quae sequuntur.

Vox παραλογίζομαι sibi vult falsis rationibus ac argumentis aliquem decipere. Apud Aristote-

lem enim vero ac recto syllogismo opponitur paralogismus, qui vel ex apparentibus sed falsis falsum concludit, vel ex veris falsum per vitiosam argumentationem deducit. Ceterum hujusmodi verbum tum Latina apud Dialecticos, cum Itala civitate donatum est.

In suasibilibus verbis. Vulgata vertit: *in sublimitate sermonum*; Augustinus legit: *in verisimili sermone;* et textus Ambrosianus habet: *in subtilitate sermonis.* Vox graeca πιθανολογία indicat proprie sermonem aptum et compositum ad persuadendum. — Sensus igitur est: Quidquid autem superius de scientiae Christi excellentia ac perfectione locutus sum, propterea dixi, ne allecti specioso scientiae nomine, quam quidam pollicentur, vos circumveniri patiamini persuasibilibus quidem, sed falsis humanarum rationum argutiis. Cum enim in Christo, quem fide jam recepistis, sint omnes thesauri scientiae et sapientiae reconditi, et ab eo tamquam capite expectetis quisque pro modulo ac mensura sua repleri, non est, cur extra eum humanae scientiae fallaci, incertae, inani faciles nimis aures praebeatis.

v. 5.

« Nam etsi corpore absum, sed spiritu vobiscum sum, gaudens et videns vestrum ordinem et firmamentum fidei vestrae in Christum. »

Rursus suam sollicitudinem declarat, ne a pseudo-Apostolis decipiantur. Licet absens sim cor-

pore, spiritu tamen vobis intersum, vestrumque ordinem ac fidem cum gaudio intueor.

Nam etsi corpore absum. Graecus textus habet τῇ σαρκὶ *carne*, quam opponit τῷ πνεύματι, *spiritui*, quod immediate sequitur.

Sed spiritu vobiscum sum. Ambrosianus et Anselmus de spiritu prophetico haec accipiunt, quasi per eum Paulus absentia cognoverit, quae fiebant Colossis, eaque viderit eodem modo, quo Elisaei spiritus vidit Giezi accipientem munera a Naaman. Si hoc enim, inquiunt, datum est Elisaeo, cur non Paulo? praesertim cum major collata fuerit gratia Apostolis, et Prophetis N. Foederis, quam Prophetis V. Testamenti; et ex Actibus Apostolorum constet, hunc spiritum Petro adfuisse, cum Ananiae et Sapphirae fraudem absens cognovit. — Non inficiamur, Paulum, qui tot gratiae donis a Deo cumulatus est, prophetico quoque spiritu donari potuisse, quo ea cognosceret, quae Colossis fiebant; quod vero Paulus spiritum hunc reapse habuerit, atque hoc medio Colossarum ordinem fidemque resciverit, hoc deberent auctores supra citati argumentis probare, cum *a posse ad esse* non detur conclusio. — Sicut autem hoc ipsi non praestant, ita eorum expositio hujus loci possibilis tantum est, et praeferri debet alia explicatio, qua statuitur, Paulum hic Colossensibus dicere, quod mentis suae cogitatio ac cura circa illos versatur: haec enim interpretatio utpote simplicior, certior quoque est.

Gaudens et videns ordinem vestrum. Con-

junctio καὶ in hoc loco causalis est, quod in Scripturis non raro occurrit, et vertenda est *quia*, scilicet: gaudens, quia video ordinem vestrum. Ordinem autem intelligit bonum et congruentem; unde Chrysostomus, Theophylactus, et Oecumenius τάξιν interpretantur εὐταξίαν *bonam ordinationem*, et recte, nam ordo incompositus non ordo, sed confusio est.

Et firmamentum fidei vestrae in Christum, id est quia video firmitatem, soliditatem atque constantiam fidei, qua in Christum credidistis.

v. 6.

« Sicut ergo accepistis Christum Jesum Dominum, in ipso ambulate, »

Hortatur ad perseverantiam doctrinae Christianae, quam jam acceperant. Sensus est: Sicut ergo fide, quam vobis Epaphras praedicavit, J. Christum tamquam dominum, caput, atque unicum mediatorem vestrum recepistis, ita pergite eum retinere et adorare. Nemo vobis pro Christo Angelos obtrudat mediatores. Christus enim via est, qua itur ad Patrem, non Angeli: *in ipso* igitur ut in via *ambulate*.

v. 7.

« Radicati et superaedificati in ipso, et confirmati in fide, sicut edocti estis, abundantes in ipsa in gratiarun actione. »

Radicati et superaedificati in ipso. Triplex hic occurrit metaphora: primo enim Christus

comparatur viae, in qua ambulandum: « Ego sum via » (Joan. c. XIV. v. 6.): secundo radici, cui nos inseri et firmiter inhaerere oporteat: « Erit radix Jesse » (Isaias c. XI. v. 10.): tertio denique fundamento, cui superaedificari debeamus: « Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Jesus. » (I. ad Cor. c. III. v. 11.)

Et confirmati in fide, idem, quod superius, modo repetit sine tropo.

Sicut edocti estis, scilicet ab Epaphra.

Abundantes in illa, id est Christi fide, *in*, videlicet *cum*, *gratiarum actione*. Haec autem omnia una cum praecedentibus participiis ad verbum περιπατεῖτε *ambulate* referuntur, et sensus est: Non solum volo, vos esse firmos in fide, verum etiam in eadem proficere, jugesque Domino gratiarum actiones persolvere, qui tanti hujusce boni, fidei nimirum, vos participes effecit.

v. 8.

Vulgata. « Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum: »

Graecus textus ad literam. « Videte, ne quis sit vos depraedans per philosophiam et inanem deceptionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, et non secundum Christum. »

Redit Apostolus ad versiculum hujus capi-

tis quartum, ubi praecipuum epistolae argumentum tractare coeperat, ut a novis Philosophorum et Judaizantium commentis Colossenses dehortetur.

Ne quis sit vos depraedans. In verbo συλαγωγέω *depraedor* metaphora desumpta est a praedonibus, qui cum fortunae bona vi rapere nequeant, fraude ea surripere conantur; eadem ratione falsi doctores et haeretici cum doctrinam suam palam proferre non audeant, per insidias quasdam et verborum artificia auditorum mentibus eam instillare student.

Per philosophiam et inanem deceptionem. Vocabulo φιλοσοφία eos perstringit Apostolus, qui vel philosophia abutebantur, vel qui philosophiam praesertim Platonicam cum Judaeorum religione immiscentes plura de Deo, ejusque Filio, de Angelis, mundique creatione inania et falsa tradebant. Cum tamen philosophiae nomen tunc temporis magnam apud omnes auctoritatem obtineret, subjungit Paulus *et inanem deceptionem*, quibus verbis apertissime ostendit, se de illa tantum loqui philosophia, quae plura docet inania et falsa, quibus creduli homines misere decipiuntur.

Secundum traditionem hominum. Haec verba ad *philosophiam* referenda sunt hac ratione: Quae philosophia est *secundum traditionem hominum*, id est non est a Deo revelata ac tradita, sed ab hominibus conficta.

Haeretici contendunt, Paulum per hujusmodi

verba, κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων *secundum traditionem hominum* quidquid est extra sacram Scripturam, speciatim vero divinam traditionem prorsus rejicere et condemnare. Vehementer tamen errant haeretici. Si enim hic sensus superioribus Pauli verbis tribueretur, suas quoque traditiones reprobasset Apostolus, de quibus tamen I. ad Cor. c. XI dicit: « Laudo vos, quod, sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis; » et II. ad Thessal. c. II.: « Tenete traditiones, quas didicistis sive per sermonem, sive per epistolam nostram. » Non divinas igitur Catholicae Ecclesiae traditiones Paulus in hoc loco respicit, sed praecepta, doctrinas, et instituta a corruptis hominibus, ac sine Deò auctore tradita, praesertim vero placita philosophica scholae Simonianae.

Secundum elementa mundi. Variant hic interpretes in statuendo genuino hujusce loci sensu. Alii enim per τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου intelligunt initia seu rudimenta doctrinae alicujus sive divinae sive humanae, seu verae seu falsae, et dicunt, Paulum his verbis perstringere saecularis ac mundanae philosophiae rudimenta, cujusmodi a Platonicis et Simonianis tradebantur. Existimant alii, τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου in eodem omnino sensu hic usurpari, ac eadem haec verba adhibentur in epistola ad Gal. c. IV., ubi per *elementa mundi* Mosaici ritus et caeremoniae intelligi debent; proindeque contendunt, Apostolum hic agere adversus Judaizantes. Alii denique arbitrantur, Paulum his verbis insurgere et con-

tra philosophos et contra Judaizantes, cum iidem haeretici Mosaicam Legem cum philosophia permiscentes, informe prorsus religionis systema ex utraque confingerent.

Et non secundum Christum, id est quae non est secundum Christum, et doctrinam de Christo vobis traditam, sed magis contra Christum ejusque doctrinam. Et sane erat contra Christum mediatoris officio eumdem privare, et in ejus locum Angelos substituere. Erat pariter contra Christum, ex lege et caeremoniis Judaicis, non autem a Christo, justitiam quaerere et expectare.

v. 9.

« Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, »

Quia. Conjunctio causalis ὅτι *quia* dat praecedentium rationem, cur scilicet dixerit Paulus, cavendum esse a philosophia et a philosophis, qui homines a Christo abducunt, et sequendam esse sapientiam ac philosophiam, quam in terris Christus edocuit; quia videlicet in Christo corporaliter inhabitat omnis deitatis plenitudo.

Inhabitat. Quoad significationem verbi κατοικέω vide, quae superius c. I. v. 19. adnotavimus.

In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, in Christo modo permanenti inhabitat plena, tota, ac perfecta divinitas *corporaliter*, id est non umbraliter, sicut habitavit in V. Legis Sacramentis, neque phantastice, ut perperam Manichaei, neque per gratiam et miracu-

lorum operationem, ut falso Nestorius contendit; sed vere, realiter, et substantialiter, per unionem scilicet divinitatis cum humana natura in Verbi persona, juxta illud Joannis: « Verbum caro factum est. »

Alii interpretes illud *σωματικῶς corporaliter* paullo aliter intelligunt, atque ita constituunt hujus versiculi sensum: In Christo perfecta divinitas non solum animae, sed etiam corpori conjuncta est: cum enim utraque natura, divina et humana, in Personae unitatem in Christo conjungatur, non solum anima, verum etiam humana caro est Verbi inhabitatio.

Cum prior expositio plenior sit, magisque faciat ad Apostoli scopum demonstrandum, et a melioris notae interpretibus adprobetur, eam libenter amplectimur; et per eam refellitur haeresis Nestorii, qui asserere ausus est, deitatem in Christo inhabitare velut in templo per energiam gratiae et miraculorum, ita ut in Christo duae essent hypostases seu personae, altera Dei inhabitantis, altera hominis inhabitati. Si enim divinitatis plenitudo essentialiter in Christo inhabitat, per unionem nimirum deitatis cum humana natura in Verbi persona, non duae sunt in Christo hypostases, quarum altera inhabitet, altera inhabitetur, sed ipse Christus est et Deus et Homo, in quo tota, plena, ac perfecta deitas inhabitat.

Ex hac Apostoli sententia tali ratione explicata pronum est inferre, quod ipse colligendum

relinquit: Si Christus est vere, realiter, ac substantialiter Deus, ergo plenus est omni scientia.

v. 10.

« Et estis in ipso repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis, »

Nonnulli interpretes ita intelligunt hunc versiculum: Cum dignitas capitis in corpus redundet, cumque divinitatis plenitudo in Christo essentialiter inhabitet, idcirco vos, o Colossenses, qui Christum tamquam caput colitis, in illo repleti estis divinitate. Alii vero tali pacto hunc eumdem locum exponunt: Et vos per Christum repleti estis scientia, aliisque donis salutaribus, iidemque amplius implendi, juxta Ioannis c. I. v. 16: « de plenitudine ejus nos omnes accepimus. » Posterior haec expositio Apostoli consilio magis convenit. Nam si in Christo est plenitudo divinitatis, et proinde scientiae plenitudo, etiam fideles, qui sunt Christi membra, ab eo tamquam capite scientiae plenitudinem expectare debent, quin opus habeant recurrere ad fallacem et noxiam philosophorum scientiam.

Qui est caput omnis principatus et potestatis. Per vocem κεφαλή *caput* debemus illum intelligere, qui in rem aliquam absoluto gaudet dominio. Sensus igitur est: Christus suprema gaudet potestate in omnes Angelorum ordines, quantacumque sint dignitate praediti. Nam sub principatibus et potestatibus, quos nominat, ceteros omnes ordines vult comprehendi. Hoc au-

tem data opera adjecit Apostolus, ut a superstitioso Angelorum cultu, quem Simoniani tradebant, Colossenses abduceret.

v. 11.

Vulgata. « In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi: »

Graecus textus ad literam. « In quo et circumcisi estis circumcisione non manu facta, in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circumcisione Christi, »

Sensus est: Per quem Christum etiam circumcisi estis non externa et carnali, sed interna ac spiritali circumcisione non manu facta, qua non supervacanea cuticula abscinditur, sed corpus peccatorum carnis, id est totus vetus homo exuitur et deponitur, quae circumcisio Christi propria est, non Moysis. Igitur *τὸ σῶμα τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός corpus peccatorum carnis* idem omnino est cum *veteri homine*, per quem intelligendus est status peccati, sicut per *novum hominem* innuitur status justitiae per Baptismum acceptae. Ait ergo in hoc versu Paulus: Per Christi circumcisionem e statu peccati in justitiae statum translati estis.

Vulgata, ut vidimus, paullo aliter hunc versiculum vertit. Expungit scilicet vocem *peccatorum* inter vocabula *corporis* et *carnis* positam, et addit particulam *sed* parti sequenti *in circumcisione Christi.* Hac lectione semel posita, verba *in expoliatione corporis carnis* de car-

nali Judaeorum circumcisione, quae manu fiebat, intelligi debent, adeo ut adsit in hoc loco antithesis inter circumcisionem carnis per Moysem datam, et animae circumcisionem a Christo institutam: hanc enim antithesim non obscure significat conjunctio adversativa *sed;* et sensus est: In quo etiam circumcisi estis non illa circumcisione, quae manibus fit, quaeque in expoliatione corporis carnei consistit, sed circumcisi estis circumcisione Christi, quae non corpus, sed animam a peccatis circumcidit.

Biblia Romana, ac Theodoretus posteriorem; Graeca omnia exemplaria, Theophylactus, aliique priorem lectionem sequuntur. Syrus interpres convenit cum Graecis in eo, quod vocem *peccatorum* addit, et voculam *sed* expungit; a Graecis tamen aeque ac a Latinis in eo discedit, quia dictionem *corporis* omittit.

Prior hujusce loci expositio, quae verba *in expoliatione corporis peccatorum carnis* de veteri homine exuendo interpretatur secundum Pauli verba ad Rom. c. VI. v. 6.: « vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati, et ultra non serviamus peccato », apud plerosque Patrum, et melioris notae interpretes probatissima est; dum secundam ejusdem loci explicationem, quam superius attulimus, plures Latini sequuntur.

v. 12.

« Consepulti ipsi in baptismo, in quo et consurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis. »

Consepulti ipsi in baptismo. Declarat, quo tempore ac medio Christi circumcisionem adepti sunt, quasi dicat: Christi circumcisionem, peccatòrum veniam, ac hominis renovationem accepistis, cum salutaribus baptismi aquis abluti estis. Immersio, qua tunc temporis baptisma conferebatur, Christi sepulturam repraesentabat, ideoque et mortem, cum sepulchrum sit mortis symbolum, nec sepeliuntur nisi mortui. Fideles igitur, dum baptizantur, ea baptismi caeremonia *Christo consepeliuntur*, quatenus immersio et Christi sepulturam exhibet, eodemque tempore in ipsis id efficit, quod Christi sepulturâ significatur, nimirum veteris hominis mortem et expoliationem.

In quo et consurrexistis. Quemadmodum immersio, quae fit in baptismo, Christi mortem et sepulturam exhibet, ita emersio ex baptismi aquis Christi resurrectionem repraesentat, ideoque subjungit sacer auctor: *In quo et consurrexistis*, scilicet in quo, vel per quem baptismum etiam una cum Christo resurrexistis, idest novam vitam adepti estis; ut sicut ille ad immortalem et gloriosam corporis vitam e mortuis resurrexit, ita vos a peccati morte suscitati, et novi prorsus homines effecti, deinceps in vitae

novitate ambuletis. Conferatur c. VI. epistolae ad Rom.; ubi hac ratione fusioribus verbis hujusmodi res explicatur.

Per fidem operationis Dei, qui suscitavit eum ex mortuis. Sensus est: Ad spiritualem hanc circumcisionem pervenistis per fidem, qua credidistis, Deum omnipotenti sua virtute Christum a mortuis suscitasse; et Christi resurrectionem credentes a peccati morte ad vitae novitatem resurrexistis. Per *fidem* igitur *operationis Dei qui suscitavit eum a mortuis* debemus intelligere fidem, qua Colossenses crediderunt omnipotentem operationem Dei, qua Christum a morte suscitavit, hoc est fidem resurrectionis Christi divina virtute factae. Nonnulli per *fidem operationis* intelligunt fidem non mortuam, sed efficacem, et per bona opera se se externe prodentem. Alii *fidem operationis* interpretantur fidem, quam Deus in nobis operatur. Prima tamen expositio anteferenda est, cum Pauli stylo, et epistolae ad Ephes. maxime conveniat, ubi c. I. v. 19. eadem, sed pluribus verbis exhibentur.

v. 13.

« Et vos cum essetis mortui in delictis et praeputio carnis vestrae, convivificavit cum ipso, donans vobis omnia delicta, »

Ut hujusmodi locus recte intelligatur, conferendus est cum eo, qui est ad Ephes. c. II. v. 5. huic plane similis. Sensus autem est: Cum vos antea per vestra peccata, et per concupiscentiam

ac carnis peccata (quae per ἀκροβυστίαν *praeputium* significantur), spiritualiter mortui essetis, Deus modo vos una cum Christo resurgente ad spiritualem vitam revocavit, omnia delicta vobis gratuito condonans. Ex qua sententia pronum est inferre: Quae cum ita sint, quomodo perversi quidam homines vellent, vos in Christo jam justificatos, et vivificatos circumcisionem aliasque legales caeremonias nunc amplecti, si per easdem Judaei numquam eam justitiam obtinere potuerunt, quam vos per solam fidem in Christo consecuti estis?

Nonnulli tamen alium esse contendunt Apostoli sensum tum ad Ephes. c. II. v. 5., tum etiam hoc loco, putantes, hunc utrumque locum consentire cum alio, qui est ad Rom. c. VI. v. 11., ubi νεκροὺς τῇ ἁμαρτίᾳ *mortuos peccato* illos vocat, qui peccato non serviunt nec communicant; atque ita statuunt hujus versiculi sensum: Et vos cum nihil jam commune cum peccatis habeatis, utpote una cum Christo mortui et sepulti in baptismo, insuper etiam vos una cum Christo vivificavit, vobis scilicet novam dedit justitiae bonorumque operum vitam. Hic enim est sensus supra citati versiculi ad Rom.: « ita et vos existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo, in Christo Jesu Domino nostro. » Verum secunda haec interpretatio nequit admitti neque in hoc, neque in superius allato epistolae ad Ephes. loco: etenim in codicibus tum Graecis cum Latinis in utroque versu legitur praepositio ἐν *in*, *mortui in peccatis*, non autem *mor-*

tui peccatis. Quo fit, ut prior expositio sit retinenda.

Quoad autem locum ad Rom. c. VI. v. 11., quem paullo ante adduximus, alium sensum eidem tribuendum esse facile animadvertet, qui attente perpendere voluerit ea, de quibus est sermo a v. 2. usque ad 11., ubi Apostolus in id totus incumbit, ut fidelibus Romanis ostendat, quod, sicuti Christianus homo in baptismate peccatis mortuus est, scilicet renunciavit, nihilque cum illis jam commune habet, ita ad peccatum numquam amplius redire debet.

Praeputio carnis vestrae. Est metonymia, qua signum pro re signata ponitur. Nam praeputium erat signum concupiscentiae atque operum carnis, sicut circumcisio, qua praeputium abscindebatur, signum erat spiritualis circumcisionis, qua a peccatis mundamur.

Donans, id est gratis remittens. Verbum enim χαρίζομαι sibi vult *gratuito donare*. *Omnia delicta*, hoc est sive originale, sive actualia.

v. 14.

Vulgata. « Delens, quod adversus nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: »

Graecus textus ad literam. « Delens, quod adversus nos *erat*, chirographum decretis, quod erat occulte contrarium nobis, et illud tulit e medio, cum affixisset illud cruci, »

Vulgata et Latini codices plurimi legunt *chi-*

rographum decreti; Graeca autem exemplaria, Latina quaedam manuscripta, Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, et Oecumenius, Augustinus quoque, Hieronymus, et interpretum plurimi legerunt *chirographum decretis.* Item antiquae omnes versiones immediatae habent *decretis*; ita Syriaca: « et delevit mandatis suis chirographum debitorum »; Arabica: « delens chirographum adversus nos scriptum per dogmata »; Aethiopica: « et delevit pro nobis scripturam debiti nostri in decreto. » Ab antiquis hisce versionibus, quae cum Graeco textu conveniunt, non esset excipienda Vetus Itala, nam a s. Augustino et Hilario, nec non Ambrosiano textu palam liquet, Latinos codices ad illa usque tempora *decretis* vel *in decretis*, non autem *chirographum decreti* habuisse.

Hac lectione semel admissa, et collato v. 15. c. II. epist. ad Ephes., qui huic persimilis est, non difficile erit genuinum hujusce versiculi sensum statuere. Legimus autem ad Ephes. loco citato: *τὸν νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργήσας legem mandatorum in decretis evacuans*, scilicet Christus: ubi per *τὸν νόμον* vetus Lex Mosaica, et per vocem *ἐν δόγμασι* N. Foederis praecepta cum promissionibus a Christo tradita, et in Mosaicae oeconomiae locum suffecta, ex melioris notae interpretibus intelligi debent. Ea autem lex ab Apostolo hic vocatur *chirographum nobis contrarium*, sumpta metaphora a chirographo, quo debitores scriptotenus debitum suum confitentur,

et post statutum temporis lapsum idem se reddituros promittunt; prouti se gesserant Judaei, qui ne vix Mosaicam Legem acceperant, quasi per chirographum debitores se constituerant universae legis adimplendae, ad unum conclamantes, ut Exodi c. XXIV. legitur: « omnia, quae locutus est Dominus, faciemus, et erimus obedientes. »

Paulus autem in Judaeorum loquens persona, dicit in hoc loco, quod hujusmodi *chirographum*, sive Lex Mosaica, *erat adversum nos, quod erat contrarium nobis*, quia Lex vetus ostendebat quidem bonum, sed vires gratiamque non suppeditabat ad idem operandum. Unde in epist. II. ad Cor. c. III. Moysis legislatio *ministratio mortis et condemnationis* ab eodem Apostolo nuncupatur; et ad Rom. c. IV. v. 15. dicitur Lex *iram operari*, scilicet ultionem Dei excitare adversus homines ejusdem legis transgressores. Quod quidem ita accipiendum est, ut Lex Mosaica vindictam parere dicatur non per se et directe, sed indirecte tantum et per occasionem.

Hoc autem chirographum Christus delevit *τοῖς δόγμασιν decretis* suis, scilicet per Legem Evangelicam, eadem ratione, qua si rex quispiam omnia sibi debitorum chirographa publico edicto aboleret. Quibus verbis Apostolus docere vult, Mosaicam Legem per Christum omnino abrogatam, omnemque ejusdem observandae obligationem penitus cessasse, Evangelica Lege introdu-

cta. Idque contra Judaizantes, qui Legi ac circumcisioni Colossenses subjicere satagebant.

Haec, quam attulimus, hujus versiculi expositio, a Graecis interpretibus potissimum adprobata, confirmatur quoque conclusione, quae paullo post v. 16. subjungitur: « nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum. »

Si vero cum Vulgata legamus *chirographum decreti*, tunc per hujusmodi verba intelligendum est chirographum, quod nostra coram Deo debita, peccata videlicet testabatur, chirographum nobis contrarium et contra nos, quod scilicet nos condemnabat, et in quo damnationis nostrae decretum fuerat conscriptum.

Et illud tulit de medio cum affixisset illud cruci. Christus autem hujusmodi decretum sustulit, delevit, laceravit, ac veluti ex accusatoris manibus extortum cruci affixit, scilicet Christus per mortem, quam in cruce passus est, Legem Mosaicam abolevit juxta primam expositionem, juxta secundam vero interpretationem Christus per crucis passionem et mortem pro omnibus humani generis debitis satisfecit, et condemnationis decretum delevit.

v. 15.

Vulgata. « Et expolians principatus et potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso. »

Textus graecus ad literam. « Cum exuisset prin-

cipatus et potestates, ostentavit palam triumphans illos in ipso. »

S. Ambrosius libro III. de Fide, c. II. participium ἀπεκδυσάμενος absolute accepisse videtur, ita ut accusativi τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας referantur ad sequens verbum ἐδειγμάτισεν; legit enim et exponit *exuens se carnem*, addita videlicet dictione *carnem*, qua vestis ad instar Christus se ipsum exuisse per mortem significatur. Attamen ad indicandam plenam Christi victoriam atque triumphum, quem de daemonibus egit, multo magis convenit, utrumque accusativum et ad participium praecedens, et ad subsequens verbum referri, quemadmodum ex sententiae declaratione liquido patebit.

Pro unico vocabulo ἐν παῤῥησίᾳ Vulgata habet duo adverbia *confidenter* et *palam*. Commentarius Ambrosianus vertit *palam*, interpres Origenis homil. 8. super librum Josue reddit *libere*, Augustinus legit *fiducialiter*. Existimo autem, duo adverbia, quae Vulgata praesefert, ex diversis translationibus accepta fuisse: ideoque qui ea dividunt, ita ut prius ad *traduxit*, posterius vero ad *triumphans* referant, ab originali textu recedunt, qui unicam habet dictionem ab omnibus ferme interpretibus ad verbum ἐδειγμάτισεν relatam.

Sensus est: Christus cum principatus et potestates, id est daemones, spoliasset imperio, quod in homines exercebant, eosdem daemones jam exutos et spoliatos palam ostentavit, omni-

busque spectandos exhibuit in triumpho, quem de iis egit, victoria per semetipsum, id est suo sanguine parta.

Ostentavit palam triumphans. Quemadmodum triumphatores solent captivos hostes in triumpho circumducere, ostendere, omnibusque spectandos exhibere; ita Christus quasi triumphator hostes suos, scilicet daemones, potestate jam dejectos, et a se victos in triumphum duxit, Deoque, Angelis, et justis hominibus ostentavit.

In ipso. Pronomen αὐτῷ referri potest et ad *Christum*, et ad *crucem; σταυρὸς* enim *crux* graece est generis masculini. Melius tamen, ut nobis saltem videtur, ad Christum refertur, qui scilicet per semetipsum, sua virtute ac vi, adversarios suos devicit atque subjecit.

v. 16.

« Nemo igitur vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae aut sabbatorum, »

Dixerat in antecedentibus Apostolus, Mosaicam Legem per Christum sublatam, atque abrogatam fuisse: ex eo nunc adversus Judaizantes concludit: Nemo igitur, o Colossenses, propter cibum aut potum, neomenias aut sabbata vos tamquam culpae reos repraehendat atque condemnet.

Hic loci Paulum de Judaicis jejuniis et festis loqui, non autem de Christianis, prouti Novatores hunc versiculum contorquere vellent, aper-

tissime patet 1) ex verbis νουμηνίας σαββάτων *neomeniae* et *sabbatorum*, quae sunt festa judaica, non autem christiana; 2) ex subsequenti versu 17. ubi ait: « Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi », quasi dicat: Loquor de veteribus festis, quae Christi festorum umbra et figura fuerunt; 3) ex totius epistolae scopo, qui est agere adversus Simonianos et Judaizantes; 4) denique Ecclesiae Patres, Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Theodoretus, Ambrosius, Anselmus, et Augustinus, hunc locum tali ratione explicarunt.

Si quis autem quaerat: Curnam, si de legalibus hic Paulus pertractat, potus mentionem faciat, cum nullus potus in veteri Lege tamquam immundus prohibeatur? respondemus imprimis, Judaeos toto Nazaraeatus tempore vino abstinere consuevisse. Scimus praeterea ex Evangelio, Scribas et Pharisaeos, ut vulgo religiosi admodum viderentur, legalibus a Moyse institutis quamplures alias observationes ab ipsis inventas adjecisse, prout essent frequentes illae manuum, pedum, totiusque corporis lotiones, de quibus est sermo Marci c. VII. Verisimile igitur est, ex horum traditione quaedam etiam potuum genera fuisse interdicta.

Aut in parte diei festi, aut neomeniae aut sabbatorum. Illud ἐν μέρει *in parte* nihil aliud in hoc loco significat, quam *in causa*, *in negotio*, sicut colligitur ex locis parallelis I. Petri c. IV. v. 16. ἐν τῷ μέρει τούτῳ — Act. c. XIX. v. 27. — II. ad

Cor. c. III. v. 10. ἐν τούτῳ τῷ μέρει — ibidem c. IX. v. 3. ἐν τῷ μέρει τούτῳ, et sensus est: Nemo vos condemnet in iis, quae ad festos Judaeorum dies pertinent. Nonnulli tamen contendunt, Paulum per haec verba ἐν μέρει ἑορτῆς *in parte diei festi* innuere velle quosdam dies festos, non autem omnes. Judaizantes enim facile intelligebant, Colossenses non posse omnes Israel festivitates ea ratione observare, qua a Moyse praecipiebantur; hinc acquievissent, si earum pars solummodo fuisset observata. Sed quaerimus, si Colossenses festos Judaeorum dies observare tenebantur, cur non omnes? Sin autem inutilis erat haec observantia, cur illos in parte observarent? Hammondius denique aliam proponit explicationem, quae tamen nimis coacta videtur: Nemo vos damnet in ea sectione, in eo hebraicorum librorum articulo, qui de diebus festis agit. Prior expositio, utpote simplicior et literae propior, caeteris anteferenda est.

Nemo vos judicet. Hic adhibetur verbum κρίνω *judico* pro κατακρίνω *condemno;* et sensus est: Nemo vos judicando condemnet ob cibum, vel ob potum, vel ob festum aliquod Judaicum. Per ἑορτὴν *diem festum,* ut a *neomenia* et *sabbatis* distinguatur, possumus interpretari festivitatem, quae non saepius in anno recurrit, sicut neomenia et sabbatum, sed semel tantummodo, prout essent Pascha, Pentecoste, Scenopegia etc.

v. 17.

« Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. »

Quae sunt umbra futurorum. Judaeorum festivitates, aliaeque Mosaicae Legis caeremoniae nihil aliud sunt, quam figurae et umbrae, obscurae nimirum futurorum significationes.

Corpus autem Christi, veritas, realitas illorum signorum in Christo ejusque Ecclesia adimpletur. Opponit sacer auctor in hoc loco umbram corpori, figuram realitati, Legem Evangelio, Moysem Christo. Vis autem argumentationis in his latens verbis est: Cum corpus, id est Christus jam advenerit, ad quid igitur, praesente veritate, ejusdem umbram et figuram consectamini? Optime ad rem Augustinus libro 19. contra Faustum: « Praesente corpore, umbris locus amplius non est; veritate illucescente, figurae cessare debent. »

v. 18.

Vulgata. « Nemo vos seducat, volens in humilitate et religione Angelorum, quae non vidit ambulans, frustra inflatus sensu carnis suae, »

Graecus textus ad literam. « Ne quis vobis palmam intercipiat, volens in humilitate et religione Angelorum in ea, quae non vidit, ingerens se, frustra inflatus a mente carnis suae, »

Ne quis vobis palmam intercipiat. Dixerat in superioribus, 1) Christum Legem Mosaicam sustulisse v. 14., 2) eumdem daemones sua ex-

uisse potestate. Ex priori contra Judaizantes deduxit: *Nemo ergo vos judicet in cibo etc.*, ut versibus 16. et 17. Ex posteriori nunc adversus Simonianos concludit docens, a fallaci eorum philosophia cavendum esse, qui superstitiosum Angelorum cultum hominibus imponere conabantur.

Verbum καταβραβεύω, quod Vulgata vertit *seducat*, derivatur a nomine βραβεῖον *praemium*, quod in ludis Corinthiacis victoribus donabatur, et sibi vult *praemium intercipere*, *a praemio impedire*, quemadmodum Erasmus et Hentenius recte interpretati sunt. Atque haec expositio confirmatur ex omnibus paene Graecorum commentariis, nec non ex iis, quae Hieronymus ad Algasiam quaestione 10. scribit, ubi animadvertit, verbum καταβραβεύω ex iis vocabulis esse, quibus, juxta urbis et provinciae suae consuetudinem, frequentissime usus est Apostolus, et tunc adhiberi, cum quis in certamine positus agonothetae vel aliorum fraude et insidiis βραβεῖον sive palmam sibi debitam amittit.

Ex verbi καταβραβεύω significatione possumus contra Neotericos observare, quomodo aeterna vita, de qua palma hic Paulus loquitur, non solum ut gratuitum donum, verum etiam ut nostrorum bonorum operum merces et praemium a Deo nobis per Christum expectanda sit.

Volens in humilitate. Participium θέλων *volens* non est referendum ad verbum καταβραβευέτω, ut male vertit Erasmus, perinde ac si sensus esset: Nemo de industria, data opera vos decipiat,

ac vobis palmam intervertat; sed rectius ad sequentia refertur ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ *in humilitate et religione*, scilicet affectans humilitatem et Angelorum religionem; sic enim Epiphanius in Dositheorum haeresi ἐθελόσοφον appellat inanis sapientiae affectatorem; sic Graeci ἐθελοδοῦλον famulum vocant, qui obsequia dominorum affectat; et s. Augustinus in epistola ad Paulinum, ubi totum hunc Apostoli locum pertractat, dicit, vulgares Africanos graecam vocem latinae permiscentes θελο*divitem* eum appellare qui divitias, θελο*sapientem* vero qui sapientiam affectat. Unde sensus hujus versiculi est: Cavete, ne quis vobis expectatum praemium avertat per affectatam humilitatem et religionem Angelorum.

Calvinus et Theodorus Beza contendunt, Sanctorum invocationem, inter quos sunt Angeli, ab Apostolo in hoc loco damnari. Sed vehementer errant haeretici superius citati; non enim rectum Angelorum cultum, prout in Catholica Ecclesia frequentari consuevit, sed idolatricam tantum et superstitiosam Angelorum religionem hic Paulus condemnat: quod luculentius patebit, ubi perpendatur, adversus quos Apostolus hisce verbis insurgat.

Quoad hanc quaestionem diversi interpretes diversa statuerunt. Verum si integer locus accurate animadverti velit, haec nobis ex ipso Apostolo colligi posse videntur.

I. Paulus viam sibi sternens ad hanc haeresim, et superstitiosam Angelorum religionem

refellendam v. 4. ait: « ne quis vos argumentando decipiat in suasibilibus verbis », et v. 8.: « videte, ne quis sit vos depraedans per philosophiam. » Unde colligitur, hanc haeresim et superstitiosum Angelorum cultum ortum esse a philosophis et quidem Platonicis, qui Deos quosdam medios animarum purgatores confinxerunt.

II. Certum est, hunc errorem in eo situm fuisse, ut dicerent, Angelos, utpote Christo digniores, excellentiori quoque ac latreutico ritu colendos esse, cum ipsi, et non Christus, servatores essent et mediatores hominum: quod eruimus ex subsequenti v. 19.: « non tenens caput », scilicet Christum. Hinc est, cur Christi super Angelos dignitatem et praeeminentiam c. I. et alibi tam studiose inculcat Apostolus.

III. Origo et occasio hujus erroris fuisse videtur haeresis Cerinthi, qui Nestorio praeludens duplicem in Christo personam admisit contendens, Jesum fuisse purum hominem, in quem ob morum integritatem Christus Dei Filius descenderat, a quo passionis tempore in coelum recessit. Inde enim inferebat: Jesus, utpote merus homo, ineptus est et indignus, qui mediatoris Dei et hominum officio defungatur; Christus vero, qua Deus ac Dei Filius, mediator esse nequit: hinc necessario consequitur, Angelis, qui Deum inter et homines natura medii sunt, hoc mediatoris officium uti debitum ita et a Deo fuisse tributum.

Quapropter statuendum videtur, Paulum hic

quosdam perstringere, qui ex Platonica philosophia et ex Cerinthi haeresi superstitiosum Angelorum cultum Colossis ac Laodiciae introducere conabantur docentes, nos non Christo, sed mediantibus Angelis purgari oportere. Affectata igitur ac perversa horum humilitas in eo consistebat, quod latreutico cultu, qui naturae divinae tantum adfertur, se submitterent iis, quibus et quomodo non debuissent.

Quibus semel statutis, manifesto apparet, hunc Pauli locum nihil prorsus facere adversus Sanctorum invocationem in Catholica Ecclesia frequentatam. Non enim latriae cultus eis tribuitur, nec Christi loco mediatores constituuntur, sed intercessores ad Christum, qui unus est mediator Dei et hominum, ex parte nostra adhibentur, sicut docet Ecclesia *multiplicatis intercessoribus.*

In eâ, quae non vidit, ingerens se. Vulgata vertit participium ἐμβατεύων *ambulans*, Augustinus legit *inculcans*, Ambrosianus *extollens se*, Hieronymus ad Algasiam, et Erasmus: *in iis, quae non vidit, fastuosus incedens*, id est de iis, quae non vidit, cum fastu ac supercilio disserens, perinde ac si vidisset. Verum Budaeus ex Graecis auctoribus probat, verbum ἐμβατεύειν idem esse, ac pedem in aliquid ponere, immiscere se alicui rei, inire possessionem. Et sensus erit: ingerens se, immittens se in ea, quae non vidit, scilicet sequens somnia sua, quae sunt de rebus numquam visis. Quibus verbis insinuat sa-

cer auctor, hos haereticos arcana quaedam ac stupenda de natura, officiis, variisque Angelorum ordinibus tradidisse, quarum rerum nullam poterant adferre rationem, et nihilominus, non secus ac si vidissent, erecto supercilio affirmabant.

Frustra. Adverbium εἰκῆ *frustra* in hoc loco sibi vult *vane*, *sine causa*. Frequens est autem in ss. Scripturis haec adverbii εἰκῆ *frustra* significatio; ita Exodi c. XX., et Deut. c. V. in eodem omnino sensu usurpantur *frustra*, et *in vanum* nomen Dei assumere, et Job. c. II. legitur: « ut affligerem eum frustra », id est immerito.

Frustra inflatus, sine causa in superbiam erectus, cum falsa sit scientia, quam jactat.

A mente carnis suae, a cogitatione, seu scientia sua carnali. Vocat carnalem τῆς σαρκὸς hujusmodi scientiam, quia humano carnalium hominum spiritu inventa ac tradita juxta illud, quod in Jacobi epist. c. III. v. 15. legitur: « Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica ». Cur autem *inflatum* φυσιούμενον modo vocat, cui paullo ante tribuebat *humilitatem?* Illic non simplex, sed affectata et falsa humilitas intelligitur.

v. 19.

Vulgata. « Et non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus et conjunctiones subministratum, et constructum crescit in augmentum Dei. »

Graecus textus ad literam. « Et non tenens

caput, ex quo totum corpus per commissuras et connexiones subministratum et compactum augescit augmentum Dei. »

Et non tenens caput, id est non inhaerens capiti, quod est Christus, sed in Christi locum Angelos sufficiens.

Ex quo totum corpus etc. Rationem reddit Apostolus, cur Christus sit Ecclesiae caput, quasi dicat: Quemadmodum in corpore organico et naturali caput singulis membris vitam, sensum, et motum suppeditat per nervos, articulos, et juncturas, quibus iidem artus cum capite et secum invicem cohaerent, eadem omnino ratione in mystico Ecclesiae corpore omnia ejusdem membra a Christo, tamquam divino capite, vitam et augmentum accipiunt illarum rerum ope, quibus cum Christo et secum invicem conjunguntur. Hujusmodi autem *commissurae*, quibus Ecclesiae membra divino capiti cohaerent, sunt fides et dilectio J. Christi; sicuti mutua charitas, et Sacramentorum participatio sunt *connexiones*, quibus iidem fideles cum inter se, tum etiam cum Christo arctissime obstringuntur.

Augescit augmentum Dei: haec phrasis convenit cum illa *vivere vitam*, *servire servitutem*, et sibi vult: crescit augmento, quod a Deo est.

Hic aliquis animadvertere posset: Si totum Christi corpus in augmentum Dei, et in charitate augetur, ergo peccatores, qui hujus augmenti non sunt participes, et charitatem non habent, in Christi corpore, hoc est in Ecclesia non

sunt. Respondemus, Ecclesiam esse moralem quamdam personam, quae humani individui ad instar constat ex anima et corpore. Corpus Ecclesiae sunt ipsi fideles, qui apte inter se dispositi, et arcto invicem nexu consociati eamdem Christi fidem externe et visibiliter profitentur, eadem participant Sacramenta, legitimisque Pastoribus, Romano Pontifici praesertim subjiciuntur. Anima vero Ecclesiae est interior justitia, seu gratia sanctificans, qua justi intime Deo cohaerent. Peccatores propterea, qui justitia ac sanctitate, quasi supernaturali vita, actu destituuntur, ad Ecclesiae animam non pertinent. Verumtamen si externam ac visibilem verae fidei professionem, ac superius allatam communionem retineant, licet non ad animam, ad corpus tamen Ecclesiae pertinent, et quamdiu in Ecclesiae corpore sunt, spiritu Christi vivificari, et per veram poenitentiam ac contritionem vitam gratiae recipere possunt.

Quibus positis, cum de divino ac supernaturali augmento hic Paulus loquatur, clarissime patet, illum de justis tantummodo sermonem habere; ideoque nihil quoad peccatores exinde concludi posse.

v. 20.

« Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid tamquam viventes in mundo edocemini? ».

Si mortui estis cum Christo ab elementis

mundi. Hic rursus dividuntur interpretes, quorum alii per *elementa mundi* legales caeremonias intelligunt, quae erant tamquam prima hominum rudimenta, quae ad veritatem in Christo adimpletam adducebant. Alii vero haec eadem verba de principiis et dogmatibus philosophorum interpretantur. Verum si integer contextus accurato examini subjiciatur, haud obscure patescet, Apostolum hic lectores suos ab Judaismo dehortari, prout vel ex subsequenti versiculo 21. colligi potest, proptereaque per *elementa mundi* ritus Mosaicae Legis indicari, sicut affirmat etiam Hieronymus. Porro *mortui ab elementis* juxta ejusdem Hieronymi sententiam idem est ac *mortui elementis* eadem ratione, qua ad Rom. c. VI. qui baptizati sunt *mortui peccatis* dicuntur. Hic igitur erit hujus loci sensus: Si per J. Christi mortem Judaicis caeremoniis et legibus mortui estis, et earumdem jugo omnino liberati, ita ut nil commune cum ipsis amplius habeatis,

Quid tamquam viventes in mundo edocemini? Verbum δογματίζεσθε medium est, et potest etiam active sumi *decernitis*, quemadmodum vertit Vulgata, et legunt Ambrosianus, Hieronymus, et Augustinus. Sed Graeci omnes, praeeunte Chrysostomo, passive exponunt, activum sensum prorsus excludentes; quod sane convenientius videtur; non enim Colossenses decernebant, vel juxta verbi graeci significationem dogmata statuebant, sed ab aliis potius accipiebant. Sensus est: Cur igitur, perinde ac si Judaicis caeremo-

niis adhuc subjecti essetis, aliorum praecepta et dogmata quoad eosdem ritus patimini?

v. 21.

« Ne tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris. »

Haec verba ab Apostolo referuntur tamquam pseudo-doctorum ore prolata. Μὴ ἅψῃ *ne tetigeris* e. g. morticinum, neque menstruatae mulieris vestimenta, aut scabellum in quo sederit: μηδὲ γεύσῃ *neque gustaveris* carnem suillam ac leporinam, aut de anguilla; μηδὲ θίγῃς *neque contrectaveris* emendo aut vendendo quicquam talium.

v. 22.

Vulgata. « Quae sunt omnia in interitum ipso usu, secundum praecepta et doctrinas hominum: »

Graecus textus ad literam. « (Quae sunt omnia in interitum abusu) secundum mandata et doctrinas hominum; »

Quae sunt omnia in interitum abusu. Augustinus, qui una cum Vulgata legit: « quae omnia sunt in interitum ipso usu », haec verba ita intelligit: Judaici ritus ac leges ad mortem aeternam eos adducunt, qui eisdem modo utuntur, qui scilicet in Christiana Religione easdem caeremonias ac instituta tamquam necessaria ad beatam vitam adipiscendam observant. Hieronymus autem et interpretes Graeci haec verba referunt ad cibos, de quibus superius dixerat: *Ne*

tetigeris, neque gustaveris, neque contrectaveris. Quae sane posterior expositio genuina esse videtur. In textu enim graeco occurrit vocabulum ἀπόχρησις, quod proprie sibi vult *abusum*, et iis rebus tribuitur, quae usu consumuntur. Quin imo vox *abusus* vel latine de usu consumptivo apud jurisconsultos usurpatur, ut testis est Cicero in Topicis: « Non debet ea mulier, cui vir bonorum suorum usufructum legavit, cellis vinariis et oleariis plenis relictis, putare id ad se pertinere. Usus enim, non abusus, legatus est. Ea sunt inter se contraria. » In quem locum ita Boethius: « Utimur his, quae nobis utentibus permanent; his vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt. » Sensus igitur Paulini hujus loci erit: Cur justitiam et sanctitatem ab iis rebus quaeritis, quae corporis usui inserviunt, ipsoque usu pereunt et consumuntur?

Secundum mandata et doctrinas hominum. Hisce verbis novum continetur argumentum adversus pseudo-Apostolorum placita, quasi dicat: Haec ciborum distinctio, nec non reliqui omnes ritus et caeremoniae non innituntur amplius divinis praeceptis atque doctrinae, 1) quia Legis Mosaicae instituta licet Deum auctorem habuerint, Christo tamen adveniente, penitus abrogata sunt; hinc haec praecepta, quibus Judaizantes vos subjicere student, non a Deo, quemadmodum in V. Testamento, sed a privatis quibusdam hominibus nulla missione, nulla auctoritate praeditis vim et momentum suum modo mutuantur;

2) quia isti falsi doctores Mosaicam Legem non integram et puram, prouti primum a Dei ore profecta per Moysem accepta est, sed humanis commentis atque adinventionibus corruptam aut aggravatam vobis suadere conantur.

v. 23.

Vulgata. « Quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione, et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. »

Textus graecus ad literam. « Quae sunt speciem quidem habentia sapientiae in affectata religione et humilitate, et non indulgentia corporis, non in honore aliquo ad saturitatem carnis. »

Quae sunt speciem quidem habentia sapientiae. Vox λόγος, quam Vulgata vertit *rationem*, per *speciem*, *imaginem* ab Hieronymo explicatur, aeque ac si sensus sit: Quae hominum praecepta et doctrinae apud imperitos speciem quamdam et imaginem habent sapientiae. Chrysostomus hoc vocabulum interpretari mavult per *verbum* seu nomen, hoc sensu: Quae nomen habent sapientiae, id est quae sapientiae nomine ab imperitis hominibus honorantur. Erasmus utramque expositionem miscere videtur, dum ita vertit: *Quae verbotenus quidem habent speciem sapientiae.* Prior expositio magis convenire videtur, praesertim cum addatur particula μὲν *quidem*, quae vim extenuandi habet, quasi dicat: Habent quidem speciem sapientiae illa prae-

cepta, sed non veritatem. Vel denique haec sententia exponi potest juxta s. Augustinum et Thomam: *Quae habent rationem sapientiae* non verae, sed ejus quae est in superstitione et humilitate.

In affectata religione et humilitate. Sicuti superius diximus, participium θέλων *volens* non solum ad ταπεινοφροσύνην *humilitatem*, sed etiam ad θρησκεί'αν *religionem* referendum esse, ita nunc dicimus, idem participium ad ταπεινοφροσύνην *humilitatem* quoque transmittendum, ita ut sensus sit: Sapientia, seu praecepta, de quibus loquor, in affectata et falsa religione, et in affectata et conficta humilitate consistunt.

Et non indulgentia corporis. Vulgata vertit: *et non ad parcendum corpori.* Ambrosianus et Augustinus *ad vexationem corporis.* Erasmus *laesionem corporis;* et codex quidam pervetustus monasterii Laudensis insulae Flandrorum vicini, transpositis vocibus, ita legit: *et ad non parcendum corpori:* cui lectioni favet versio Syriaca *et quod non indulgeat corpori.* Sensus est: Haec praecepta et sapientia sita sunt in praepostera atque insolita quadam abstinentia et corporis afflictione. Hoc enim est corpori non parcere, vel indulgere.

Non in honore aliquo ad saturitatem carnis. Per vocabulum τιμή *honor* accipienda in hoc loco est sustentatio corpori debita tamquam Dei templo, sicut sustentatio parentibus, presbyteris, viduis praestanda *honor* in Scripturis appellatur.

Honor enim Hebraeis non tantum verbalis aut caeremonialis, sed et realis est, necessariorum videlicet vel operis subministratio. Per πλησμονὴν τῆς σαρκὸς *carnis saturitatem* denotat Paulus eam cibi, potusque quantitatem, quae corpori necessaria est, ut spiritui inservire, suaque officia sine impedimento exercere possit. Ait igitur sacer auctor, pseudo-doctorum sapientiam seu praecepta talia esse, quibus justa corporis refectio et sustentatio subtrahitur, dum scilicet immoderatis quibusdam et stulte adinventis abstinentiis corpus exhauritur contra illud, quod legitur ad Ephes. c. V.: « nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam. » Sensus itaque hujus versiculi est: Abstinentia a quibusdam cibis et potibus aliquam quidem sapientiae et religionis speciem praesefert, quia nos ad poenitentiam adducit; verum haec eadem abstinentia corrupta est, quia cum superstitione ac fucata humilitate conjuncta, et quia corporibus debitam renuit escam, qua indigent, ut suas vices peragere, et munere suo rite perfungi possint.

Nonnulli autem alii Catholici interpretes vocem ἐθελοθρησκεία explicant *de spontanea religione*, per quam significari dicunt opera supererogatoria, qua consilia praeceptis adduntur, et ita constituunt hujus versiculi sensum: Haec abstinentia utilis quidem erit, et christianae sapientiae conveniens, dummodo tamen 1) sponte assumatur, 2) cum modestiae et humilitatis sensu, 3) denique pro fine habeatur sancta corporis af-

flictio, qua nimirum honoratur et sanctificatur corpus, dum eidem non parcitur, neque indulgetur, sed per abstinentiam spiritui servire cogitur. Verum si haec abstinentia alio spiritu fiat, vel quia tamquam ad salutem omnino necessaria putatur, vel quia cibi et potus, Dei creatura, tamquam immundi rejiciuntur, vel quia damnantur ii, qui eamdem observationem sequi nolunt, tunc quidem hoc non solum inutile, sed etiam nocuum et perniciosum erit.

Attamen qui posteriorem hanc expositionem tuentur, nullo poterunt testimonio probare, vocabulum ἐθελοθρησκεία in bono sensu usquam adhiberi; hinc quamvis illustres Calmetus et Martini eam priori praeferant, nos tamen innixi potissimum Chrysostomi, Hieronymi, et Ambrosii auctoritati priorem amplectimur.

Sive autem in priore, sive in secundo sensu hic versus sumatur, apertissime liquet, toto coelo errare recentiores Neotericos, qui Ecclesiastica jejunia et abstinentiam hoc Apostoli loco reprobari contendunt, perinde ac si hoc esset corpori non parcere, sed suum ei honorem detrahere, et carni saturitatem denegare. Etenim juxta primae expositionis patronos Paulus hic insurgit adversus jejunia et abstinentias Judaizantium, quae quidem duplici laborabant vitio, cum et immoderata essent, unde, Hieronymo et Epiphanio testibus, corporis debilitas et mors quandoque contrahebatur, et cum superstitione conjungerentur; existimabant enim, ea per se place-

re Deo, non vero ratione habita ad carnis castigationem. His autem vitiis Ecclesiastica jejunia, saltem quoad Ecclesiae intentionem, penitus carent. Nam immoderatas corporis afflictiones et abstinentias semper generatim improbavit Ecclesia; quo fit, ut quamplures ratione aetatis, sexus, aegritudinis, laborum a jejuniis excusatos habeat, nolens cujusquam valetudinem jejunio vexari. Moderatas autem afflictiones exigit, docetque referendas esse omni cum modestia et humilitate ad reprimendam carnis lasciviam, ad peccatorum punitionem, ad pietatem denique, charitatem, et religionem magis ac magis fovendam augendamque. Si vero hic versiculus juxta secundam interpretationem sumatur, abstinentia et jejunium tamquam opera ad salutem utilia a Paulo commendantur, dummodo tamen careant vitiis ibidem adnotatis. Sive igitur sub prima, sive sub posteriore expositione hic versus accipiatur, perperam arbitrantur Sectarii, abstinentiam et Ecclesiastica jejunia hoc Apostoli loco condemnari.

CAPUT III.

v. 1.

« Si igitur consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, »

Dogmatica epistolae parte in duobus prioribus capitibus jam absoluta, ad partem ejusdem

practicam modo gradum facit Apostolus, in qua Colossenses ad vitam Christo dignam, sanctam ac coelestem vehementer hortatur.

Animadvertendum est adverbium *οὖν igitur*, quod ex praecedentibus illationem ostendit. Dixerat autem superius c. II. vv. 11. et 13., Christianos per baptismum, quem receperant, cum Christo ad novam vitam resurrexisse. Si igitur, inquit, una cum Christo convivificati estis, ea peragite, quae novae ac coelesti huic vitae omnino conveniunt.

Quae sursum sunt quaerite. Verbum *ζητέω quaero* ex usu loquendi biblico sibi vult proprie omnes mentis cogitationes, omnia studia in aliquid conferre; hinc per hujusmodi verba debemus intelligere: Omnem curam et sollicitudinem vestram ad res supernas ac spirituales conferte.

Ubi Christus est in dexterà Dei sedens. Quemadmodum Christus vestrae resurrectionis principium et exemplar in coelis ad dexteram Patris sedet, eadem ratione vos per Christum ad novam vitam suscitati, debetis eidem, tanquam capiti vestro, conformari, coelestibus tantum ac divinis rebus studendo.

Phrasis *sedere in dextera Dei* non est hic sumenda proprio, sed improprio sensu, et sibi vult proximam a Deo Patre dignitatem, potestatem et gloriam in coelis possidere. Metaphora enim desumpta est ex rebus humanis, ubi rex in excelso ac medio residens throno eum, cui primum post se honorem deferri vult, ad solii

sui dexteram sedere jubet. Per phrasim igitur *sedere in dextera Dei* Christo tributam, debemus intelligere tum judiciariam potestatem, qua Christus omnium rex et judex a Patre constitutus est, tum etiam quietam singularis beatitudinis ac supremae potestatis possessionem, qua in coelo in summa Patris gloria omnibus creaturis infinito intervallo praecellit, iisdemque pacifice et absolute dominatur. — Hoc autem dicitur de Christo, non quatenus Deus, sed quatenus homo est: divinae enim naturae ratione habita, Christus non modo proximam, sed eamdem cum Patre habet gloriam et potestatem. Hinc est, cur Scriptura, Symbolum Apostolicum, nec non omnes Patres cum Christum ad Patris dexteram sedere testantur, hoc eidem tribuant post ejus in coelum ascensum; hinc est, cur in Dominicae Ascensionis festo infra actionem haec verba legantur: «Diem celebrantes, quo Dominus noster unigenitus Filius tuus unitam sibi fragilitatis nostrae substantiam in gloriae tuae dextera collocavit.» Et sane Christus in coelum receptus quietam supremae felicitatis, dominii, ac excellentiae, qua omni creatura superior est, possessionem accepit. Confer. ad Rom. c. VIII. v. 34., ad Ephes. c. I. v. 20., ad Hebr. c. I. v. 3.

v. 2.

«Quae sursum sunt sapite, non quae super terram.»

Quae sursum sunt sapite. Verbum φρονεῖτε

verti posset etiam *curate*, prouti reddunt Erasmus et Hentenius, et sensus idem manet.

Apostolus in hoc versu idem, quod in praecedenti, praeceptum inculcat, cum τὰ ἄνω φρονεῖν *coelestia sapere* vel *curare* idem omnino sit, ac τὰ ἄνω ζητεῖν *coelestia quaerere.*

v. 3.

« Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. »

Mortui enim estis. Haec ad superiora referuntur μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς *non quae super terram*, quasi dicat hagiographus scriptor: Merito vos moneo et obsecro, ne terrena quaeratis, quia jam per baptismum terrenis rebus, mundo, atque peccato mortui estis.

Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, et vita omnino spiritualis ac prope divina, ad quam modo resurrexistis, saeculi hujus sensibus atque oculis abdita, non minus quam Christi in coelo regnantis vita, est apud Deum, unique Deo cognita et manifesta.

v. 4.

« Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc et vos cum ipso apparebitis in gloria. »

Vulgata vertit *vita vestra:* pleraque tamen graeca exemplaria habent ἡμῶν *nostrum*, et sensus est: Nunc quidem spiritualis nostra vita abscondita est, sed cum Christus causa vitae nostrae tum meritoria cum exemplaris, ultima ju-

dicii die universo mundo in gloria ac majestate manifestabitur, tunc vos quoque, qui una cum Christo ad recentem et immortalem vitam resurrexistis, una cum Christo magna ditati gloria manifestabimini.

v. 5.

« Mortificate igitur membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quae est idolorum servitus, »

Mortificate igitur membra vestra, quae sunt super terram. Intelligit membra illius corporis, quod superiori capite v. 11. τὸ σῶμα τῶν ἁμαρτιῶν τῆς σαρκός *corpus peccatorum carnis*, ad Rom. c. VI. v. 6. τὸ σῶμα τῆς ἁμαρτίας *corpus peccati*, quodque ibidem et alibi passim τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον *veterem hominem* appellat. Sicut enim homo, sive corpus hominis, variis constat membris, ita vetus homo, vel corpus peccati, ex variis peccatorum generibus, diversis velut artubus, coagmentatur. Hujusmodi autem membra, quae *super terram*, idest terrena, ab Apostolo vocantur, quia a Deo hominem avocant et ad terram deprimunt, debet christianus homo in se mortificare, efficere nimirum, ut quidquid in se est carnale, terrenum, corruptum, penitus moriatur.

Enumerat postea hos veteris hominis artus, haec peccatorum corporis membra subdens: *fornicationem, immunditiam, libidinem;* quae

inter se in eo discriminantur, quod πορνεία *fornicatio* omnem maris ac foeminae concubitum extra matrimonium comprehendit; ἀκαθαρσία *immunditia* ad carnis peccata refertur, quae sunt contra naturam, scilicet ad generationem non ordinantur; πάθος *libido* denique praeposteram denotat obscenitatem, qua mares turpia patiuntur, παθικοί propterea nuncupati. Nonnulli interpretes vocem πάθος verterunt *passionem*, incompositum nempe voluptatum affectum generatim intelligentes: alii una cum Augustino legerunt *perturbationem;* sed Apostoli mentem minus assecuti videntur.

Concupiscentiam malam. Cum in antecedentibus de carnis peccatis loquatur, videtur in hoc loco rei Venereae concupiscentiam innuere, quam κακήν *malam* vocat ad discrimen alterius concupiscentiae, qua spiritus adversus carnem concupiscit, quaeque bona est, et in epistola ad Gal. c. V. commendatur.

Et avaritiam, quae est idolorum servitus. Πλεονεξία *avaritia* est immodica opum cupiditas, qua per fas perque nefas eas avarus accumulat. Monet hic Apostolus lectores suos, ut caveant ab avaritia juxta illud Eccli. c. X. v. 10.: « nihil est iniquius, quam amare pecuniam; » et Psalm. LXI. v. 11.: « divitiae si affluant, nolite cor apponere. » Cur autem avaritia vocatur εἰδωλολατρεία *idolorum servitus?* Idololatria tunc habetur, cum honor soli Deo debitus creaturae impenditur. Dupliciter autem Deo debetur honos, ut

scilicet in eo finem nostrum constituamus, et fiduciam nostram in eo collocemus. Ergo qui hoc in creaturis ponit, reus est idololatriae. Atqui avarus finem suum, totamque fiduciam suam in re creata, nempe pecunia collocat. Ergo avarus est idolorum servus.

Eruditi quidam critici post d. Hieronymum vocabulum πλεονεξία tum in hoc, tum ad Ephes. c. V. v. 5., de effraeni immundarum voluptatum cupiditate interpretantur. Qua expositione semel admissa, clarius pateret, cur Paulus subjunxit *quae est idolorum servitus:* omnibus enim in comperto est, Simonianos, adversus quos tum haec ad Colossenses, tum illa ad Ephesios litterae conscriptae sunt, infandum quodcumque libidinis genus exercuisse tamquam honorem et cultum quemdam, prout ipsi impie docebant, Deo gratissimum.

v. 6.

«Propter quae venit ira Dei in filios incredulitatis, »

Tradit modo rationem, cur hujusmodi peccata sint evitanda: quia scilicet propter hujusmodi peccata hominibus Evangelicae praedicationi non acquiescentibus imminet ac superventura est gravis a Deo vindicta.

Venit. Adhibet praesens pro futuro, quod majorem vim addit sermoni, cum tali pacto ostendat Apostolus, se divinam ultionem filiis incredulitatis jam jam imminentem videre.

Filios incredulitatis. Est phrasis hebraica loco dicendi *filios incredulos.* Vox ἀπείθεια significat proprie vitium contumaciæ ac praefracti animi rationabilem suasionem respuentis; et per *filios incredulitatis* debemus eos intelligere, qui Deo ejusque Evangelio contumaciter resistunt; de quibus I. ad Tim. c. VI. v. 3. dicitur: « qui non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi .... superbus est, nihil sciens. »

v. 7.

« In quibus et vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. »

Sensus est: Iisdem vitiis vos quoque, o Colossenses, ante conversionem vestram indulsistis, cum Ethnicismus gravissima quaelibet flagitia non solum pateretur, sed ipsa religionis exercitatione probaret.

Phrases *ambulare in peccatis*, et *vivere in peccatis* inter se differunt velut actus et habitus.

v. 8.

Vulgata. « Nunc autem deponite et vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. »

Textus graecus ad literam. « Nunc autem deponite et vos omnia, iram, furorem, malitiam, blasphemiam, turpiloquium ex ore vestro. »

Postquam superius v. 5. peccata recensuisset, quae ex concupiscibili appetitu praesertim

originem ducunt, nunc ad ea enumeranda accedit, quae ex appetitu irascibili proficiscuntur.

Iram, *furorem*. Haec juxta d. Hieronymum ab invicem in eo distinguuntur, quod θυμὸς *furor* est incipiens et fervescens in animo indignatio, ὀργή *ira* est perversus animi affectus, qui furore restincto ultionem expetit, et eum, quem nocuisse putat, laedere vult.

Malitiam. Per κακίαν *malitiam* in N. F. intelligendum est quodcumque opus, quo proximus laeditur.

Blasphemiam. Vox βλασφημία a βλάπτω *noceo*, et φήμη *fama* proprie *maledicentiam* sonat: juxta biblicum tamen loquendi usum est sermo contumeliosus contra Deum.

Turpiloquium, hoc est verborum obscenitatem.

De ore vestro. Haec ad duo posteriora tantummodo βλασφημίαν αἰσχρολογίαν, quae sunt oris peccata, referri debent.

v. 9.

Vulgata. « Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, »

Graecus textus ad literam. « Ne mentiamini ad invicem, exuti veterem hominem cum actibus suis, »

Ne mentiamini ad invicem, id est alii aliis; quibus verbis non solum mendacium, sed omnis generis fraus et deceptio prohibetur.

Exuti veterem hominem cum actibus suis.

Vulgata vertit *expoliantes:* sed graecum participium ἀπεκδυσάμενοι est temporis praeteriti, prout vertit Erasmus *Postquam exuistis*, et Hentenius *Qui exuistis*. Haec autem pars ad totam praecedentem admonitionem *Nunc autem deponite etc.* referenda est, ut sensus exurgat: Ad haec omnia, iram, furorem, malitiam, blasphemiam, turpiloquium, mendacium ac fraudes, penitus deponenda ac abjicienda vos majorem in modum adhortor, utpote qui per baptismum veterem hominem una cum omnibus ejusdem operibus jamdudum exuistis.

Nonnulli tamen contendunt, Paulum in hoc loco uti praeterito pro praesenti juxta genium linguae hebraicae, et imperativum γίνεσθε *estote* subaudire, sicut et alibi id peragere solet, ex. g. ad Rom. c. XII. v. 9. ἀποστυγοῦντες τὸ πονηρὸν, κολλώμενοι τῷ ἀγαθῷ *odientes malum, adhaerentes bono*, scilicet *estote:* atque in hoc sensu Syrus interpres Paulinum hunc locum intellexit vertens: *exuite veterem hominem.* Juxta horum interpretum expositionem, quibuscum convenit Vulgata, sensus erit: Generatim et in universum vos hortor et moneo, ut veteri homine una cum suis operibus exuamini.

Vetus homo ex peculiari Apostoli loquendi ratione est vel corruptio peccati ex Adamo contracti, vel ipse homo, quatenus hanc vetustatem et corruptionem in se habet. *Novus homo*, de quo in versiculo subsequenti, vitae novitatem denotat, vel ipsum hominem, quatenus per gratiam

renovatus est. *Actus veteris hominis* sunt peccata, *novi* opera bona.

v. 10.

« Et induti novum, qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum, »

Vulgata, Syrus et nonnulli alii interpretes hic reddunt: *et induentes novum*, vel *induite novum*, quemadmodum participium ἀπεκδυσάμενοι vertunt *exuentes* vel *exuite*, prouti vidimus.

Qui renovatur in agnitionem secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Iste novus homo in dies magis et magis renovatur ac perficitur, ut Deum ejusque voluntatem cognoscat: renovatur autem *secundum imaginem Dei, qui creavit illum*, quia sicut in creatione sua factus fuit ad imaginem et similitudinem Dei per rationalem naturam et superaddita gratiae dona, ita nunc per justitiam et sanctitatem Christi gratia illi collatam ad Dei imaginem reformatur.

v. 11.

« Ubi non est Graecus et Judaeus, circumcisio et praeputium, barbarus, Scytha, servus, liber, sed omnia et in omnibus Christus. »

Sensus est: In quo renovationis negotio nullum discrimen habetur nationis, religionis, majoris vel minoris ruditatis, aut cujuscumque conditionis.

Graecus plerumque in N. Foedere *Judaeo* opponitur, ut Act. c. XIV. v. 1., c. XVIII. v. 4.,

c. XX. v. 21.; ad Rom. c. I. v. 16., c. II. v. 9., c. III. v. 9., et alibi passim; et pro omnibus Gentilibus usurpatur, quia Apostolorum aevo populi, qui post Alexandri Magni triumphos finitima loca occupaverant, et graece loquebantur, omnes Ethnicae religioni adhaerebant.

Barbari Graecis opponuntur propter linguae nitorem, morumque culturam: inter barbaros autem omnium ferocissimi Scythae habebantur: hinc barbaro *Scytham* opponit tamquam eum, qui barbarie praestat, ei qui non adeo barbarus est.

Sed omnia et in omnibus Christus; sed Christus est *omnia*, scilicet justitia, sanctitas, ac caetera spiritualia bona, quia causaliter et per meritum passionis suae haec bona communicat. Est autem Christus *in omnibus*, quia omnibus indiscriminatim hominibus, cujuscumque generis aut conditionis sint, sua beneficia et dona elargitur.

v. 12.

Vulgata. « Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: »

Graecus textus ad literam. « Induti sitis ergo, sicut electi Dei sancti et dilecti, viscera misericordiae, humanitatem, humilitatem, mansuetudinem, longanimitatem: »

Quemadmodum superius veteris hominis membra ab Colossensibus abjicienda enumeravit, ita

nunc novi hominis actus recenset, quibus lectores suos indui vult.

Induti sitis viscera misericordiae. Vox σπλάγχνα *viscera* in sensu hebraizanti adhibetur, et sibi vult intimum affectum, ita ut per verba *induti sitis viscera misericordiae* intelligendum sit: misericordiae affectum erga proximos assumite, misericordiae opera in proximum libenter et ex animo exercete.

Sicut electi Dei sancti et dilecti, sicut decet homines, quos Deus ad gratiam et gloriam elegit, sanctificavit, et in J. Christo dilexit.

Vox χρηστότης non denotat proprie *benignitatem*, prouti reddit Vulgata, sed *humanitatem* vel comitatem, quae in morum urbanitate sita est, dum benignitas ad liberalitatem potius refertur.

Humilitatem, mansuetudinem. Vox ταπεινοφροσύνη descendit a ταπεινὸς *humilis*, et φρονέω *sapio*, et est illa virtus, qua quis suae vilitatis ac fragilitatis conscius humiliter ac modeste de se sentit, nemini se praeponit, neminem judicat. Bono igitur sensu haec vox in hoc loco sumitur ad discrimen v. 18. c. II., ubi hoc idem vocabulum de affectata ac falsa humilitate adhibetur. Πραότης est humilitatis filia, qua mansuete ac leniter cum omnibus agimus ac loquimur, aliorum infirmitatibus non offendimur, nec ad iracundiam provocamur. Ταπεινοφροσύνη superbiae, πραότης iracundiae opponitur.

Longanimitatem. Vocabulum μακροθυμία ori-

tur a μακρὸς *longus* et θυμὸς *animus:* explicatur autem in sequenti versiculo, in quo haec virtus consistat.

v. 13.

« Sustinentes ad invicem, et condonantes vobis ipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Christus condonavit vobis, ita et vos. »

Longanimitas est virtus, qua proximorum infirmitates ac injurias nobis illatas patienter ferimus ac dissimulamus; hinc dicit sacer auctor:

Sustinentes ad invicem. Verbum ἀνέχομαι sibi vult *aliquem patienter ferre*, alicujus molestiam aequo animo pati. Per haec igitur verba lectoribus suis insinuat Apostolus, ut alii aliorum infirmitates patienter ferant.

Et condonantes vobis ipsis, scilicet alii aliorum offensas condonent, alii aliorum injurias remittant.

Si quis adversus aliquem habet querelam, si quis ab aliquo injuriam accepit, ita ut jure de eo conqueri possit.

Sicut et Christus condonavit vobis, ita et vos: sicuti Christus graviora peccata vobis condonavit, ita et vos leviores culpas fratribus vestris remittite.

v. 14.

« Super omnia autem haec charitatem, quae est vinculum perfectionis. »

Vulgata post vocem *charitatem* addit *habe-*

tc; quod tamen neque in exemplaribus Graecis neque Syris, neque apud Ambrosianum et Augustinum invenitur. Regitur autem accusativus ἀγάπην aeque ac superiores quinque σπλάγχνα οἰκτιρμοῦ, χρηστότητα, ταπεινοφροσύνην, πραότητα, μακροθυμίαν v. 12., a verbo ἐνδύσασθε *induti sitis*, ita ut sensus sit: Induti sitis charitatem, qua vos invicem diligatis. Addit autem ἐπὶ πᾶσι *super omnia*, vel quia charitas est omnium virtutum principium ac finis, ita I. ad Cor. c. I. v. 5.: « Finis praecepti est charitas », et Gregorius M. homil. 27. in Evang.: « ut multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic multae virtutes ex una charitate generantur »; vel quia est omnium virtutum maxime necessaria, ita ut reliquae omnes sine ipsa nihil sint coram Deo, sicut docet Apostolus I. ad Cor. c. XIII. v. 1—4.; vel denique quia totius Ecclesiae unitas per charitatem continetur.

Quae est vinculum perfectionis: σύνδεσμος τῆς τελειότητος. *vinculum perfectionis* est phrasis hebraica, et est idem ac vinculum perfectum, sicut etiam phrases *filii misericordiae, calix benedictionis, filii obedientiae* idem sonant, ac filii misericordes, calix benedictus, filii obedientes. Cur autem charitas vinculum perfectum nuncupatur? Vel quia ceteras omnes virtutes, quibus homo perfectus redditur, ad invicem connectit et servat; vel quia est perfectum vinculum, quo homines in societatem inter se colligantur, dum alia humanarum societatum vincula aut noxia

aut saltem imperfecta sunt; vel denique quia fideles per charitatem tum inter se, tum cum Deo et J. Christo perfecte conjunguntur.

v. 15.

« Et pax Christi dominetur in cordibus vestris, ad quam et vocati estis in uno corpore, et grati estote. »

Verbum βραβεύω duplicem potest habere significationem, vel *praemium obtinere*, vel *praemium adjudicare*. Si in priori sensu sumatur, cui favet Vulgata vertens *exultet*, exultare enim victoris est palmamque obtinentis, hic oritur sensus: Si qua insurgat inter vos controversia, non avaritia, superbia, vel ulciscendi cupiditas, sed vera et christiana pax, quae Deum habet auctorem, palmam obtineat, atque praevaleat in cordibus vestris, non secus ac si dicat: Ante omnia pacem servate, vestro juri potius cedite, vestra amittite bona, quam pacem; ideoque pax praemium consequatur, ac veluti triumphans in vobis exultet. Si in posteriori vero significatione accipiatur, hic erit hujus loci sensus: Si quid inter vos incidat dissensionis, eam dijudicet palmamque decernat non malus aliquis animi affectus, sed christianae pacis amor ac studium; pax reginae ad instar omnes animi motus in officio contineat, bella, quae oriri possunt, reprimat, controversias ac lites confestim componat, ut constanti atque inconcussa concordia cum fratribus vestris fruentes unanimes serviatis Deo.

Ad quam et vocati estis in uno corpore, ad quam christianam pacem etiam vocati estis, utpote in Ecclesiae membra cooptati.

Et grati estote. Vox εὐχαριστὸς juxta usum loquendi sibi vult *mitis* et *gratus*. Hinc Erasmus priorem sensum secutus *in annotationibus* hunc locum ita intelligit: Estote mites, benigni, misericordes erga omnes. Attamen anteferenda videtur posterior significatio, aeque ac si Paulus dicat: Ideo mentionem feci maximi illius beneficii, quo ad Christianam fidem vocati estis, ut grati sitis Deo, ut gratias eidem referatis. Secunda haec expositio apud omnes fere interpretes probatissima est, imo apud ipsum Erasmum, qui eam *in paraphrasi* amplectitur.

v. 16.

« Verbum Christi inhabitet in vobis opulenter in omni sapientia, docentes et commonentes vos ipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. »

Verbum Christi inhabitet in vobis opulenter in omni sapientia, Christi doctrina fixam ac permanentem in vobis sedem habeat, vosque copiose abundanter adimpleat omni sapientia, perfecta scilicet divinarum rerum sive ad fidem sive ad mores spectantium cognitione, prout in hac vita sperari potest.

Docentes et commonentes vos ipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus. Hic subintelligendum est verbum γίνεσθε, docentes ni-

mirum et commonentes *estote*, cum pronomen ὑμῖν, quod praecessit, dativum casum respondentem omnino exposcat. Sensus est: ut vos invicem alii alios instituatis, et ad bona opera exercenda mutuo exhortemini canentes psalmos, hymnos, et cantica spiritualia. Vox ψαλμος apud profanos auctores eum praesertim cantum significat, qui citharae pulsu fit; ὕμνος Deorum laudibus accommodari solet; ᾠδὴ denique est nomen prorsus generale quemcumque concentum designans; hinc est, quod additur πνευματικαῖς *spiritualibus*. In Scripturis sacrum semper est argumentum, et ita juxta d. Hieronymum psalmi, hymni, et cantica inter se distinguuntur. « Hymni sunt, qui Dei fortitudinem et majestatem praedicant, et ejusdem semper vel beneficia vel facta mirantur, quod omnes psalmi continent, quibus Alleluja vel praepositum vel subjectum est. Psalmi autem proprie ad ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quid faciendum, et quid vitandum sit noverimus. Qui vero de superioribus disputat, et concentum mundi, omniumque creaturarum ordinem atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spiritale canticum canit. »

In gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Illud ἐν χάριτι *in gratia* juxta s. Anselmum est hebraismus loco dicendi *cum gratiarum actione*, quasi dicat Apostolus: Volo, vos tot beneficiorum, quae per Christum accepistis, memores semper Deo laudes et gratiarum actiones canere. Verum haec expositio minus convenire

videtur ex eo, quod versu subsequenti peculiare adest praeceptum gratias agendi Deo: hinc satius est illud *in gratia* cum Chrysostomo aliisque de gratia a Spiritu Sancto collata intelligere, ita ut ostendat Paulus, ea, quae superius praeceperat, non sine divina gratia posse adimpleri. Vel denique cum Theophylacto phrasim *in gratia* debemus accipere de gratia ac voluptate spirituali, qua audientes afficiuntur. Quemadmodum enim profana cantica carnalem, ita spirituales concentus spiritalem excitant voluptatem et oblectationem. Inde est, cur cantum hunc *in cordibus* fieri jubet, ut nimirum in suavissimam ac piissimam vocem deinde erumpat, qua alios tum doceamus, tum ad virtutem operandam magis ac magis hortemur.

v. 17.

« Et omne quodcumqne facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu, gratias agentes Deo et Patri per ipsum. »

Inculcat hic sacer auctor, ut nostras omnes actiones ad Christum, ejusque gloriam dirigamus: Omnium vestrorum operum finis et objectum sit Christus; ejus gloria et voluntas solummodo a vobis in omnibus requiratur. Si mens vestra non semper actualem Christo placendi intentionem fovere potest, habitualem saltem foveat, si tamen ea agere vultis, quae aeternam vobis salutem promereantur.

Si omnes actiones, dicunt Neoterici, intentio-

ne actuali vel saltem virtuali in Christum sunt dirigendae, ergo infideles, qui Christi notitia penitus destituti hanc intentionem fovere nequeunt, in omni opere necessario peccant. Huic difficultati facili ratione responderi potest, si tantummodo animadvertatur, neminem ad ignotum teneri, ideoque infideles, qui Christi cognitione carent, hoc Apostoli praecepto nequaquam includi.

Non inconsulto addidit Paulus ἐν ὀνόματι κυρίου Ἰησοῦ *in nomine Domini Jesu*, ut nimirum adversus illos insurgeret, qui Angelos pro Christo servatores ac mediatores statuere satagebant.

Gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Gratias Deo agere debemus per Christum, quia per Christi meritum omnia spiritualia bona in nos proveniunt. Dicit autem *gratias agentes Deo*, quatenus nempe auctor noster est per creationem: addit deinde *et Patri*; quia ad nos misit J. Christum, per quem redempti ac regenerati sumus; proindeque *Deo* gratias referimus pro bonis naturae, *Patri* pro gratiae bonis.

v. 18.

« Mulieres, subditae estote viris, sicut oportet, in Domino. »

Postquam superius generalia attulisset praecepta, quae omnes indiscriminatim Christianos respiciunt, nunc ea proponit, quae ad peculiares quasdam personas et conditiones spectant; et primo quidem mutua conjugum officia in medium adducit.

Mulieres, subditae estote viris. Nonnulla exemplaria Graeca legunt τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν *propriis viris*, nec temere, per illum enim adjectivum Apostolus mulierum cogitationes ab alienis viris avocare studet.

Verba ἐν κυρίῳ *in Domino* nonnulli cum proximo verbo ἀνῆκεν *oportet* conjungunt, et sensus est: Sicut Christi postulat doctrina, vel sicut christianas mulieres decet. Alii tamen et rectius ad ὑποτάσσεσθε *subditae estote* referunt, ut sensus oriatur: Uxores, maritis subditae estote juxta Christi legem et doctrinam, prouti Christus praecipit, non vero in iis, quae ejusdem legi ac voluntati adversantur. Quam exponendi rationem confirmant ea, quae ad Ephes. c. VI. v. 1. leguntur: « Filii, obedite parentibus vestris in Domino. »

v. 19.

« Viri, diligite uxores, et non amari sitis ad illas. »

Viri, diligite uxores. Nonnulli codices addunt ὑμῶν *vestras.* Uxorum dilectionem his verbis Paulus maritis inculcat: Viri, uxores vestras, summo, casto, constanti, sincero, aequo amore diligite.

Et non amari sitis ad illas, ne sitis amarulenti, difficiles, austeri erga illas, sed faciles, mites, benigni; virilis potestatis onus per charitatis dulcedinem temperetur, ac levius reddatur.

v. 20.

« Filii, obedite parentibus secundum omnia: hoc enim placitum est in Domino. »

Filii, obedite parentibus secundum omnia; hoc est in omnibus, quae non sunt contra Deum.

Hoc enim placitum est in Domino. Nonnulli codices Graeci legunt τοῦτο γὰρ εὐάρεστόν ἐστιν τῷ Κυρίῳ *hoc enim est beneplacitum Domino*; Ambrosianus *hoc enim placet Deo;* pleraque tamen Graecorum, et Romana exemplaria legunt ἐν Κυρίῳ *in Domino*, id est apud Dominum, vel *coram Domino*, ut vertit Syrus interpres.

v. 21.

Vulgata. « Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant. »

Graecus textus ad literam. « Patres, non provocate ad indignationem filios vestros, ne animo despondeant. »

Patres, non provocate ad indignationem filios vestros. Verbum ἐρεθίζω sibi vult generatim *provocare*; merito tamen addendum est illud *ad indignationem*, in parallelo enim loco ad Ephes. c. VI. v. 4., ubi eadem sententia occurrit, usurpatur verbum παροργίζω a παρα et ὀργή, quod indicat proprie *irritare*, ad iram provocare. — Prohibet igitur Paulus in hoc loco nimiam parentum in filios severitatem, quae filios exasperat et ad iram provocat.

Ne animo despondeant, dum parentes in

se duros ac litigiosos experiuntur; atque ita in officio languescunt, ac demum quodcumque sive parentum sive Christi ipsius jugum excutiunt.

v. 22.

Vulgata. « Servi, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. »

Graecus textus ad literam. « Servi, obedite per omnia iis, qui secundum carnem sunt domini, non ad oculum obsequiis exhibitis, sicut qui hominibus placere student, sed in simplicitate cordis, timentes Dominum. »

Servi, obedite per omnia, subintelligitur, perinde ac v. 20., quae non sunt contra Deum.

Iis, qui secundum carnem sunt domini, illis videlicet, qui sunt vestri domini quoad corpus, non quoad spiritum; hac enim ratione et vos et illi unum eumdemque dominum habetis J. Christum.

Non ad oculum obsequiis exhibitis. Obsequia ad oculum exhibere dicuntur, qui dominis inserviunt vel ex solo timore, vel ut eorum favorem aucupentur. Hoc vetat Paulus in hoc loco, et obsequia dominis praestanda praecipit.

In simplicitate cordis, id est recto, ingenuo, sincero corde, absque simulatione.

Timentes Deum. Haec licet ad superiora referantur, seorsim tamen accipienda sunt, quasi dicat: Haec facite timentes Deum, qui occulta

tenebrarum cognoscit, et cordium consilia scrutatur.

v. 23.

« Et omne quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, et non hominibus, »

Sensus est: Et quodcumque ministerium et obsequium dominis vestris impenditis, non ad oculum aut coacte, sed libenter promptoque animo facite, aeque ac si non hominibus, sed ipsi Deo ministraretis.

v. 24.

Vulgata. « Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis: Domino Christo servite: »

Graecus textus ad literam. « Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. Nam Domino Christo servitis. »

Scientes, quod a Domino accipietis retributionem haereditatis. Si id feceritis, certi estote, vos maximam a Domino mercedem recepturos fore, filiorum videlicet haereditatem.

Vox ἀνταπόδοσις sibi vult proprie *mercedem* seu compensationem illius, quod datum est. Ex hujusce vocabuli significatione possumus humanorum operum merita deducere adversus Neotericos, qui id negare non erubuerunt animadvertentes, actum justitiae, utpote e sola divina gratia profectum, uni Deo tribuendum esse, non autem homini, qui merum est instrumentum,

ideoque nihil mereri potest. Verum cum filiorum haereditas, qua Deus bona hominum opera in coelis coronat, ἀνταπόδοσις hic a Paulo vocetur, luculentissime patet, actum justitiae non e sola divina gratia, sed etiam ex humana voluntate pendere: hinc non soli gratiae, sed humanae quoque voluntati tribuendus est; proindeque cum Deus nostra opera bona remuneratur, quatenus haec opera divinae gratiae sunt fructus, sua coronat dona; quatenus vero nostrae voluntatis sunt foetus, nostra merita remuneratur. Vide Concilium Trid. Sess. VI. cap. XVI. et can. 32.

Nam Domino Christo servitis. Jure dixi, vos, cum ex animo serviatis hominibus, mercedem a Christo recepturos esse; Christi enim voluntas est, ut hilari promptoque animo heris vestris ministretis: si igitur ita servitis, Christi voluntatem adimpletis, qui obsequium ac ministerium vestrum in futura coelesti haereditate abundantissime compensabit. Vulgata, ut vidimus, hunc locum ita vertit: *Domino Christo servite,* et sensus est: Cum bonae servitutis mercedem a Christo sitis recepturi, servite igitur heris vestris carnalibus, tamquam Christo Domino. Prior lectio planior est, quam Graeca omnia exemplaria, Syriaca, et Ambrosianus textus, nec non s. Thomas in commentario sequuntur.

v. 25.

Vulgata. « Qui enim injuriam facit, recipiet id, quod iniqne gessit; et non est personarum acceptio apud Deum. »

Textus graecus ad literam. « Qui autem injuste facit, recipiet id, quod injuste fecit, et non est personarum acceptio. »

Qui autem injuste facit, recipiet id, quod injuste fecit. Quicumque autem, ut ut magnus et potens, alium injuria affecerit, injustitiae suae poenam luet. Graeci locum hunc ad servos referunt, qui dominis suis injurias inferunt. Latini vero fere omnes, inter quos Anselmus, s. Thomas, et Cajetanus, de heris intelligunt, qui dure et injuste cum famulis suis agunt. Quae posterior expositio anteferenda est, tum quia contextui magis congruit, tum quia ad Ephes. c. VI. v. 9. eadem fere sententia dominis proponitur.

Et non est personarum acceptio. Addit Vulgata *apud Deum*; quod sane in Graeco textu subintelligendum est. Ostendit his verbis Apostolus, Deum non respicere personas, sed solummodo hominum merita, ut contra heros concludat, Deum judicem eisdem non parciturum esse, si quid injuste egerint adversus servos.

CAPUT IV.

v. 1.

« Domini, justum et aequalitatem servis praestate, scientes, quod et vos Dominum habetis in coelis. »

Cum ea, quae hic dominis praecipiuntur, cum novissimo praecedentis capitis versu arcte cohaereant, nonnulli d. Thomae vestigia sequentes hunc versiculum anteriori capiti subnectendum putant, a versu secundo: τῇ προσευχῇ προσκαρτερεῖτε etc. *in oratione perseverate* etc. initium hujus capitis facientes.

Domini, justum et aequalitatem servis praestate. Monet his verbis dominos, ut servis praebeant imprimis, quod eis jure debetur, *justum*, deinde vero ut aequos et humanos se eisdem exhibeant, *et aequalitatem.* Cur autem domini juste ac clementer in servos se gerere debent? *Scientes, quod et vos Dominum habetis in coelis*, memores, vos aeque ac famulos vestros uni eidemque Domino subjectos esse, qui utrosque sui sanguinis pretio redemit, et qui sine personarum acceptione servos aeque ac dominos extrema judicii die judicabit.

v. 2.

« In oratione perseverate, vigilantes in ipsa, in gratiarum actione, »

Vulgata reddit *orationi instate*; melius ta-

men *in oratione perseverate*, quemadmodum Syrus quoque vertit: haec enim est vera verbi προσκαρτερέω significatio.

In oratione perseverate, vigilantes in ipsa. Orationis constantiam et assiduitatem nec non attentionem atque fervorem, qui eamdem concomitari debent, his verbis commendat Apostolus. Coronidis loco addit *gratiarum actionem*, pro omnibus nimirum beneficiis, quae a Deo copiosissime accepistis.

v. 3.

« Orantes simul et pro nobis, ut Deus aperiat nobis ostium sermonis loqui mysterium Christi, propter quod et vinctus sum,

Ut Deus aperiat nobis ostium sermonis loqui mysterium Christi. Nonnulli interpretes intelligunt, Paulum Colossensium preces hic expetere, ut Deus omnia sermonis impedimenta submoveat, ac suggerat opportunitatem mysterium Christi manifestandi. Et sane phrasis θύραν ἀνοιγεῖν *ostium aperire* in hoc sensu occurrit I. ad Cor. c. XVI. v. 9., ubi Paulus ait, Deum sibi magnum ostium aperuisse Evangelium in Asia annunciaturo, et Act. c. XIV. v. 26., ubi idem Apostolus enarrat, quomodo, ubi primum Antiochiam venit, Dominus Evangelii ostium Gentilibus aperuisset. Anselmus tamen, Theophylactus et Salmeron per θύραν τοῦ λόγου *ostium sermonis* intelligunt loquendi facilitatem, audaciam, libertatem, non secus ac si dicat: Deum orate, ut

os mihi aperiat, et illud concedat eloquium, quo hominum mentes suadere, et ad fidem adducere possim.

Loqui mysterium Christi, ad annunciandum scilicet humanae salutis per Christum procuratae mysterium.

Propter quod et vinctus sum, propter hoc mysterium, ejusdemque mysterii praedicationem vinculis detineor. Ex hoc loco liquido constat, epistolam hanc e carcere fuisse conscriptam.

v. 4.

« Ut manifestem illud, sicut oportet me loqui. »

Sensus est: Deus mihi ostium sermonis aperiat, ut Christi mysterium non quomodocumque eloquar, sed *sicut oportet me loqui*, apte scilicet et convenienter ad persuadendum. Merito autem utitur verbo *φανερόω manifesto*, agitur enim de re occulta hominibus prodenda.

v. 5.

« In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimentes. »

In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt. Per *eos qui foris sunt* Judaeos et infideles intelligit. Erga illos prudenter operamini, ut sanam hauriant doctrinam, et ad Evangelii cognitionem adducantur. Cavete, ne eorum animos irritetis, aut minimam illis scandali occasionem praebeatis.

Tempus redimentes. Tempus redimitur, cum

requies, commoda, bona, voluptas ipsa negliguntur, ut quaeramus tempus vacandi saluti nostrae, quae in hoc mundo unice necessaria est. Haec metaphora desumpta est ex iis, quae a mercatoribus fieri videmus, qui diligentius omnes scrutantur occasiones aliquid pretiosius comparandi, ex quo lucrum ferant. Hoc ipsum dici potest de illis, qui satis norunt, quantopere quaerenda sit aeterna salus, et satis intelligunt necessitatem eamdem quaerendi brevi hoc vitae hujus intervallo. Ait igitur Paulus: Vitae hujus tempus vestrum non est, et cito praetervolat: sapienter igitur eodem utamini, atque illud rerum qualiumcumque detrimento vobis comparate. Haec est vulgatior hujusce loci expositio. Nonnulli tamen hunc eumdem locum paullo aliter interpretantur, quasi Paulus Colossenses admoneat, ut prudenter cum Judaeis et Gentilibus agant, ne temere religionis veritates iisdem proferant, aut contra eorum errores et flagitia intempestive declament, sed *tempus redimant*, scilicet aliquid potius in silentio patiantur, quam Christianos persequendi occasionem per imprudentiam suam adversariis relinquant.

v. 6.

« Sermo vester semper in gratia, sale conditus sit, ut sciatis, quomodo oportet, vos unicuique respondere. »

Sermo vester semper in gratia, sale conditus sit. Vox ἅλας *sal* ex usu loquendi bibli-

co sapientiam et prudentiam significat; atque in hoc sensu occurrit Marci c. IX. v. 49., ubi Christus discipulis suis praecipit, ut semper in se ipsis sal habeant, atque inter se pacem conservent, et Matth. c. V. v. 13., ubi idem Jesus Apostolis dicit, illos sal terrae futuros esse. Hac omnes locutiones designant prudentiam, qua fideles de rebus ad Deum pertinentibus loqui debent. Sal moderate adhibitum optimum est epularum condimentum; sed si nimium vel intempestive aspergatur, obsonia vel exquisitissima corrumpit. Eadem ratione fidelium sermo de divinis, si sit prudens et sapiens, hominum amorem et benevolentiam sibi conciliat; sin vero imprudenter vel insipienter fiat, eosdem irritat potius, et gravissimas confert calamitates. Sale igitur sapientiae vester sermo, o Colossenses, maxime cum infidelibus respersus sit, idque *cum gratia*, hoc est cum grata jucunditate; sic enim futurum, ut audientes afficiat et aedificet juxta illud Horatii:

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

Ut sciatis, quomodo oportet vos unicuique respondere. Pro diversis hominum moribus, studiis, aliisque rerum adjunctis aliter atque aliter cum iis loquendum est. Hinc est, cur velim, sermonem vestrum semper jucundo sale esse conditum, ut sciatis nempe diverso eorum, ad quos loquimini, ingenio et necessitati vos apte accommodare.

v. 7.

« Quae circa me sunt omnia, nota faciet vobis Tychicus carissimus frater, et fidelis minister et conservus in Domino, »

Quae circa me sunt omnia, nota faciet vobis Tychicus. De rebus omnibus meis vos certiores reddet Tychicus. Erat hic ex Asia Minori, et comes Paulo accesserat, ubi ille Corintho Jerosolymam venit. Apostolus ejus opera usus est, tum ut ad Ephesios et Colossenses suas deferret epistolas, tum ut de Ecclesiarum statu sibi nuncium adferret. Imo Cretam eum mittere voluit, ut illius Ecclesiae curam gereret, atque Titi munus expleret (Conf. ad Tit. c. III. v. 12.). Graeci ut plurimum Tychicum Colophonis episcopum fuisse tradunt in Asia Minori, eumque inter septuaginta Christi discipulos recensent.

Fidelis minister et conservus in Domino a Paulo vocatur, quia Tychicus sacro Christi ministerio fideliter perfungebatur, et in rebus ad Evangelium pertinentibus una cum Paulo laborabat.

v. 8.

« Quem misi ad vos ad hoc ipsum, ut cognoscat quae circa vos sunt, et consoletur corda vestra, »

Sensus est: Ideo ad vos Tychicum misi, ut videat, quomodo res vestrae se habent, cordibus vestris consolationem afferat, meque de omnibus certiorem reddat.

Complures mss. legunt ἵνα γνῶτε τὰ περὶ ἡμῶν *ut cognoscatis quae circa nos fiunt.* Librarii tamen error hic adesse videtur, cum praecedenti versu id ipsum jam dixisset: *Quae circa me sunt omnia, nota faciet vobis Tychicus.*

v. 9.

« Cum Onesimo fideli et carissimo fratre, qui est ex vobis. Omnia vobis manifestabunt, quae hic aguntur. »

Cum Onesimo fideli et carissimo fratre, qui est ex vobis. Una cum Tychico Onesimum quoque ad vos mitto, qui ex vestra urbe est, scilicet Colossensis. Onesimus, de quo in epistola ad Philemonem est sermo, erat Philemonis servus, qui cum s. Paulum Romae in vinculis detentum convenisset, ad christianam fidem se convertit, et ad dominum suum reversus est. Aliquanto post Philemon ad Apostolum adhuc Romae in carcere degentem Onesimum misit, cujus opera Paulus usus est ad hanc epistolam ad Colossenses una cum Tychico deferendam.

Omnia, quae hic aguntur. Verbum *aguntur* non est in Graeco textu: addendum tamen est ad sententiam explendam, et sensus est: Tychicus et Onesimus omnia vobis manifestabunt, quae ad me, ceteros fideles, et Evangelii successum pertinent.

v. 10.

« Salutat vos Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae, de quo accepistis mandata (si venerit ad vos, excipite illum), »

Salutat vos Aristarchus concaptivus meus. Aristarchus nativitate Judaeus, oriundus ex Macedonia, ad christianam religionem a d. Paulo conversus est, cum primum hic Thessalonicam venit. Aristarchus Apostolum Ephesum primum, deinde in Judaeam secutus, demum cum eodem Romam adductus est, ubi in vinculis adhuc erat, cum Paulus hanc ad Colossenses, et illam ad Philemonem epistolam conscripsit. De Aristarcho sermo est in Act. App. cc. XIX. XX. XXI., et in epistola ad Philemonem.

Et Marcus consobrinus Barnabae. Hic est Joannes Marcus, de quo in Act. c. XII. et XV., et in II. ad Timoth. c. IV. v. 11. est sermo; propter quem Paulus a Barnaba recessit. Verum paullo post Joannes Marcus cum Paulo in gratiam rediit, eique in apostolico ministerio utilissimus fuit.

De quo accepistis mandata. Joannem Marcum in Phrygiam profecturum vel ipse Apostolus, vel Epaphras in superiori aliqua epistola Colossensibus commendaverant, vel fideles Romani aliquid litterarum pro eodem dederant. Credunt nonnulli, hic agi de iis litteris commendatitiis, quas Latini *Formatas* dixerunt, quae fidelibus praesertim clericis ad aliam Ecclesiam profici-

scentibus, more ab Apostolis introducto, tradi solebant.

Si venerit ad vos, excipite illum, si Joannes Marcus Colossas venerit, omnibus urbanitatis et hospitalitatis officiis eum excipite.

v. 11.

« Et Jesus qui dicitur Justus, qui sunt ex circumcisione: hi soli sunt cooperarii in regnum Dei, qui mihi fuerunt solatio. »

Et Jesus qui dicitur Justus. Jesus Judaeus erat, et in hoc dumtaxat loco occurrit: cum Paulo in Evangelio laborabat, eique solatium erat in vinculis. Vocabulum *ἰοῦστος justus* est hellenisticum latinum, pro quo graece deberet esse *δί'καιος*.

Qui sunt ex circumcisione, nimirum Judaei. Haec pars ad tres superius nominatos Aristarchum, Marcum, et Jesum refertur.

Hi soli sunt cooperarii in regnum Dei, hos solos habeo, qui in promovendo regno Dei, scilicet Ecclesia, mecum adlaborent. Hisce verbis Apostolus de parvo adjutorum numero tacite conqueritur.

Qui mihi solatio fuerunt, qui mihi in carcere constituto, in tot afflictionibus ac laboribus solatium attulere.

Theodorus Beza, ut Romanum Petri Pontificatum inficiari possit, ita ex hoc Pauli loco argumentatur: Si Aristarchus, Marcus, et Jesus soli erant Romae cum Paulo, ergo Petrus Romae non

aderat, nec ibidem per 25 annos qua Pontifex sedit. Respondemus. Hi soli Romae aderant quasi socii et adjutores Pauli, Petrus vero Romae degens seorsim evangelizabat. Adde, Petrum utpote totius Ecclesiae caput, licet Romae sedem suam constituisset, ad alias tamen persaepe discurrisse regiones, quo fidelium bonum et Ecclesiae incrementum eum vocabant. Hinc fieri potuit, ut cum Paulus hoc litterarum dedit, Petrus ab urbe abesset. Demum illud *οὗτοι μόνοι hi soli* non ita rigide accipiendum est, ut reliqui omnes excludantur, cum certum atque exploratum sit, Romae tunc temporis Christum praedicasse Lucam et Epaphram, quos paullo post nominat, nec non Timotheum, quem in epistolae titulo sibi collegam assumit.

v. 12.

Vulgata. « Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Jesu, semper sollicitus pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti, et pleni in omni voluntate Dei. »

Textus graecus ad literam. « Salutat vos Epaphras, qui ex vobis, servus Christi, semper certans pro vobis in orationibus, ut stetis perfecti et impleti in omni voluntate Dei. »

Salutat vos Epaphras, qui ex vobis, scilicet Colossensis. Vocat Epaphram *Christi servum* propter Evangelicae praedicationis munus, quod apud Colossenses obierat.

Semper certans pro vobis in orationibus,

enixe et sollicite laborans pro vobis, simulque Deum pro vobis assidue exorans.

Ut stetis perfecti et impleti in omni voluntate Dei, ut voluntatem Dei perfecte implere studeatis, atque in hoc studio constanter perseveretis.

v. 13.

« Testimonium enim illi perhibeo, quod habet multum laborem pro vobis et pro iis, qui sunt Laodiciae, et qui Hierapoli. »

Sensus est: Testis enim ego sum multorum laborum, quos ipse patitur pro vobis, et pro Laodicensibus et Hierapolitanis.

Colossae, Laodicea, et Hierapolis, de quibus hic sermo, finitimae erant, et omnes in Phrygia: neque a veri specie abhorret, Epaphram nativitate Phrygium in tribus hisce urbibus Evangelium praedicasse.

v. 14.

« Salutat vos Lucas medicus carissimus, et Demas. »

Salutat vos Lucas medicus carissimus. Hieronymus, Paulinus, Theodoretus, Ambrosius, aliique passim contendunt, Lucam medicum a Paulo hic nominatum esse Lucam Evangelistam. Nonnulli tamen Erasmum secuti de hac re dubitarunt. Cur enim, dicunt isti, Lucam tamquam medicum designat, et non potius qua Evangelistam, sub quo nomine universae Ecclesiae innotesce-

bat? Cur eum coadjutorem suum, vel fidelem comitem non vocat? — Nullius roboris sunt hujusmodi difficultates. Quoad primam enim Lucam medici nomine designat Apostolus, vel quia Lucas arte sua insignem fidelibus operam praestabat, vel quia ex hujus artis professione potissimum eum noverant Colossenses. Quod vero Paulus comitem et adjutorem suum in hoc loco eum non appellat, animadvertimus imprimis, hoc esse argumentum silentii, ideoque nihil ex eodem juxta regulas logicas concludi posse; deinde vero observamus, Paulum in epistola ad Philemonem id diserte admonere: *Demas et Lucas adjutores mei.* Non putavit autem Apostolus idem in hac epistola repetere, cum de re satis nota ageretur.

Et Demas. Demas initio statim fuit ferventissimus Pauli discipulus, eique Romam degenti utiliter operam suam collocavit; sed post aliquot annos saeculi amore captus a Paulo recessit, et Thessalonicam patriam suam reversus est. Adest autem inter interpretes controversia, num Demas ad Paulum in posterum redierit, quod Baronius et Estius affirmant, an vero ita Paulum deseruerit, ut numquam amplius ad eumdem reverteretur, quod interpretum pars longe major contendit.

v. 15.

« Salutate fratres, qui sunt Laodiciae, et Nympham, et Ecclesiam, quae est in ejus domo. »

Et Nympham. Νυμφᾶς non est nomen mulieris, prout Ambrosianus, Anselmus, aliique Latini crediderunt, sed viri, siculi aperte colligitur ex pronomine masculini generis αὐτοῦ, quod in secundo hujus versiculi membro invenitur. Ecclesia, quae erat in domo Nymphae, erat ejus familia, quae cum pietate, christianisque moribus floreret, Ecclesiae speciem habebat. Vel dicendum est cum Theophylacto, Nymphae familiam frequentissimam fuisse, cumque omnis christiana esset, solam quodammodo Ecclesiam constituisse.

v. 16.

« Et cum lecta fuerit apud vos epistola, facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur, et eam, quae ex Laodicea, ut et vos legatis. »

Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec quam ad vos scribo, *facite, ut et in Laodicensium Ecclesia legatur.* Utrisque communem vult esse hanc epistolam, cum utrisque esset communis. Verisimile enim est, Laodicenos ob loci viciniam ab iisdem, quibus Colossenses, fidei corruptoribus tentatos atque vexatos fuisse. Praeterea tunc temporis ea vigebat consuetudo, ut variae Ecclesiae Apostolorum litteras sibi mutuo communicarent.

Et eam, quae ex Laodicea, ut et vos legatis. Nonnulli ex his Apostoli verbis occasionem arripuerunt, ut statuerent, Paulum epistolam quamdam ad Laodicenos scripsisse. Et sane extat quaedam ad Laodicenses epistola Paulo tributa, quam

videre est in commentariis in d. Paulum, qui s. Anselmi nomine circumferuntur, apud Sixtum Senensem, Cornelium a Lapide, et Calmetum. Verum plura sunt, quae eamdem supposititiam ostendunt: nam I. nullum habet certum argumentum; quasdam tantum exhortationes continet et praecepta ex epistola ad Colossenses et Philippenses potissimum, aliisque Pauli litteris temere ac sine ordine congesta, cum tamen eam quasi novi aliquid continentem Colossis legi hic jubeat Apostolus. II. Non vividum in ea Pauli ingenium, non sublimitas, non vis elucet; styli quoque varietas, brevitas, ac sterilitas, quae ibidem deprehenditur, satis demonstrant, eam non esse genuinum Apostoli foetum. III. Denique Hieronymus, Theodoretus, et Patres VII. Concilii Generalis anno 787 celebrati unanimi ore testati sunt, veteribus notam quidem fuisse epistolam ad Laodicenos, sed ab iisdem tamquam apocrypham habitam fuisse.

Nonnulli alii putantes, Apostolum in hoc loco de sua aliqua epistola sermonem habere, conjecerunt, Paulum his verbis suam ad Ephesios epistolam denotare. Inter hos eminet Marcion, antiquus haereticus, qui, ut Tertullianus et Epiphanius enarrant, epistolae ad Ephesios datae titulum immutavit, eam ad Laodicenos inscribendo.

Alii denique, praeeunte Theophylacto, arbitrati sunt, mentionem hic fieri primae ad Timotheum. Verum hujusmodi hypotheses nullo confirmatae argumento corruunt per se. Quapropter probabilior nobis videtur eorum sententia, qui asserunt,

agi hic de epistola a Laodicensibus ad Apostolum missa, in qua quaedam inerant, quae ad Colossenses pertinebant, ac proinde voluit Paulus, ut ab iisdem legeretur. Huic expositioni favet imprimis lectio graeca καὶ τὴν ἐκ Λαοδικείας *et eam, quae ex Laodicea;* praeterea summi nominis viri, Chrysostomus, Theodoretus, Photius, Oecumenius, eidem subscribunt.

v. 17.

« Et dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut idem adimpleas. »

Ambrosianus et d. Thomas arbitrantur, Archippum Colossensium episcopum fuisse, ut qui eorum Ecclesiam post Epaphram regendam acceperit. Primasius vero putat, eum diaconi tantum officio perfunctum fuisse. Neutrum tamen verosimile. Non enim ratio apparet, cur Epaphras licet absens Colossensium episcopus esse desierit, vel quomodo diaconus episcopi absentiam in ministerio supplere potuerit. Hinc probabilius videtur, Archippum presbyterum fuisse, qui absente episcopo, Colossensium Ecclesiam verbo et Sacramentis pascebat.

Sensus est: Dicite Archippo, ut ministerium sibi ab Epaphra discedente commissum in iis, quae Domini sunt, probe ac diligenter exequatur.

v. 18.

« Salutatio mea manu Pauli. Mementote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. Amen. »

Salutatio mea manu Pauli. Inde liquet, Apostolum epistolam hanc aliena manu hucusque scripsisse, haec autem et quae usque ad finem sequuntur, propria adjecisse manu.

Mementote vinculorum meorum. Hic jam tertio in hoc capite carceris sui meminit, unde luculenter patet, hanc epistolam e carcere datam fuisse. Dicit autem: *Vinculorum meorum memineritis*, non ut subsidium ab eis expostulet, sed potius ut in fide, pro qua videbant eum tanta pati, magis atque magis confirmet.

Gratia vobiscum, scilicet omne salutare bonum vobis donetur, et augeatur.

Graeci codices hic subnectunt: Ad Colossenses scripta est Roma per Tychicum et Onesimum.